

MAGNI DANIELIS OMEISII,

Comitis Pal. Cæſ. & Profeſſoris
Altdorfini

COMPENDIUM ETHICUM,

methodo Synthetica
Aretologiam & *Evdæmonologiam*
perſpicuis Præceptis & Exemplis
proponens,
inqve Vſum florentiſſimi Gymnaſii Norimb. concinnatum.

Accedit
Proluſio Oratoria
de Inſula Fortunata, ab Aretophilo
quæſita & inventa:
nec non
Epitome Jurisprudentiæ
Naturalis
in gratiam Auditorum Academicorum
adjecta.

NORIMBERGÆ,
Sumtibus WOLFGANGI MAVRITII
ENDTERI.
Typis Johannis Erneſti Adelbulneri.
A. O. R. cIↄ Iↄ CCI.



Doctrinæ non minus ingeniiq;
nobilitate
qvam morum probitate Ornatis-
ſimo
Viro juveni
DN. JOH. HENRICO
SCHWEYERO,
Artium politiorum & Philoſ.
Studioſo,
Affini & Amico chariſſimo
S. P. D.
MAGNVS DANIEL OMEISIVS.

COgitanti mihi, cui libellum hunc, ex more inter literatos recepto, inſcriberem, non occurrebat alius, cui pleniore

jure possem, quam tibi, *Schweyre* multò dilectissime! Æqvum enim putavi, nos chartis hisce jungi, quos ratio studiorum, contubernium, convictus, & affinitatis vinculum jamdudum junxerunt. Fui ego, sicut nôsti, indolis tuæ & ingenii felicitate captus & permotus, svasor qvondam, ut, præ alio vitæ genere, liberalium studiorum culturam eligeres, idqve dares operam, ut artium elegantiorum diviniqve & humani Juris scientia florentissimæ patriæ aliqvando ornamento fores atqve emolumento. Ad finem huncce, favente DEO, conseqvendum, animum ut appelleres

res, oblata ſubinde occaſione in ædibus paternis, poſtea & in contubernio meo academico, gnaviter mihi attendiſti, teqve ego bonas artes & literas docui, eamqve in curam tota mente incubui, ut unà cum eloqventiæ imprimis & hiſtoriarum ſtudio (imò etiam Mathematico, duce Archimede noſtro Sturmio,) morum probitatem ſociares. Proinde præcepta ea tum Compendii hujus Ethici, tum Jurisprudentiæ Naturalis, qvæ typographus his impreſſit chartis, tu jam magnā ex parte impreſſiſti animo ac memoriæ; ut adeo uterqve libellus in frontiſpicio ſtatim ultro te ſaluta-




lutare gestiat, qvem meo in museo prælectum & explanatum cupide audivisti. Nec dubium est, qvin hæc Philosophiæ Practicæ elementa (anteqvam altiora & severiora pertractare studia occipias) semel atqve iterum sis repetiturus, vitaqve & moribus expressurus. *Facere* enim hæc *Philosophia docet, non dicere; & hoc exigit, ut ad legem suam quisqve vivat, ne orationi vita dissentiat;* monitore Seneca Epist. 20. Et Tullius exclamat in Quæstionibus Tusculanis: *O vitæ Philosophia dux! O virtutum indagatrix, expultrixqve vitiorum! Vnus dies bene & ex præceptis tuis*

actus

actus, peccanti immortalitati est anteponendus. Deprehendes equidem hoc in Ethices Compendio varia variarum Virtutum Exempla; ſed tu tibi nullum, qvod ſeqvi, cujus implere veſtigia debeas, proponere fructuoſius poteris, qvam Parentis tui optimi, Viri ampliſſimi, *Wolfgangi Magni Schweyeri*, affinis & fautoris mei deſideratiſſimi; quem beatum quidem ſed præceps fatum eheu! nobis haud ita pridem eripuit. Cujus pietas, temperantia, liberalitas, comitas, hoſpitalitas, ſedulitas, fides, & res ævo hoc pæne intermortua, candor, aliæqve virtutes præſtantiſſi-



mæ, ſicut illa demum die, meo civiumqve noſtrorum animis excident, qva Orcus ab Acheronte mortuos amiſerit; ita calcar tibi addent, ut poſſeſſionem laudis hujus in familia retineas, eumqve potiſſimum imiteris, cui natura eſſe te ſimillimum voluit. Laudatiſſimum Virum huncce hac in Dedicatione non potui non honoris cauſſa nominare; perſvaſus omnino, beatis ejus Manibus haud qvidqvam a me proficiſci poſſe gratius & acceptius, qvam ut te, ad palmæ honores & optima qvæqve contendentem, hac mea voce & acclamatione qvaſi confir-

mem

mem in propoſito, & ad alacriter pergendum cohorter. Idqve ipſum, pro egregia tua indole, æquo etiam feres animo, & hoc meum in te amoris pignus ac monumentum benigna fronte, ſpero, accipies; qvod etiamſi ſpecie minutum videatur, propius tamen inſpicienti fortaſſe probabitur, ut ad formanda ſtudia vitamqve tuam nonnihil collaturum. Qvodſi pulcerrimis tuis conatibus amplius inſervire ac prodeſſe potero, fidem tibi meam promtamqve omnem voluntatem defero; clementiæ bonitatiqve divinæ Muſas fortunasqve tuas, & vitam multos in

in annos feliciter propagandam, unice commendans. Vale, meque ex animo tibi faventem redamare persevera!



PRAE-



PRAEFATIO
ad
LECTOREM.



QVando Plinius junior circa finem Epist. 3. Lib. III. scribit: *Eloqventia male sine moribus discitur*; de eo ipsi plane assentior, atqve ulterius asseverare nullus dubito, qvod non eloqventia solum, sed & aliæ disciplinæ ac scientiæ in scholis atqve gymnasiis, absqve doctrina morum, perperam addiscantur. *Qvid leges sine moribus vanæ proficiunt?* interrogat Horatius. Ego vero: Artes qvid sine moribus vanæ proficiunt? *Si noverim mysteria omnia, omnemqve scientiam, charitatem autem non habeam, nihil sum!* ait Apostolus I. Corinth.

XIII. 2. Qvamobrem bene ac sapienter sapientissimi Academiæ ac Scholarum Norimberg. CVRATORES instituerunt, ut in Gymnasio suo florentissimo, unà cum Rhetorica, Logica, Mathesi, aliisqve scientiis, simul qvoqve pertractarentur Principia Ethica, sive Præcepta morum; ut, qvemadmodum illis studiosæ juventutis intellectus acuitur perficiturqve, ita his voluntas pariter ejusdem mature Virtutis amore imbuatur. Verbo, ut non scholæ tantum discat, sed & *Vitæ*. Deprehenderunt autem lyncei cordatiorum Virorum oculi, qvod vulgaria illa Ethices Compendia, plerisqve in scholis recepta, non paucis nævis defectibusqve laborent. E qvibus insignior hic est, qvod doctrina morum, qvamvis præ se ferat nomen scientiæ practicæ, tradatur tamen scientiæ instar speculativæ, a cujus auditione ac lectione juvenes doctiores recedant qvam melio-

meliores, & ab ignorantia magis liberent intellectum, qvam a malitia abducant voluntatem. Proponuntur videlicet illis in Compendiis complures otiosæ qvæstiones & inutiles controversiæ, iisqve examinandis toti dies impenduntur; negliguntur vero virtutes acqvirendi, vitia debellandi, affectus vel exuendi vel frænandi adminicula & exercitia; æqve ridicule, ac si artem medicam, absqve ulla pharmacorum notitia, velimus edocere. Præter illustrem Verulamium, qvi circa initium Libri II. de Augm. Scient. acu defectum hunc tetigit, audiatur hic tantum H. Morus, qvi in præfatione Enchiridio suo Ethico præmissa, *In eo errore*, inqvit, *pleriqve versari videntur, ut Systemata Ethica ad inutiles tantummodo qvæstiunculas ventilandas constitui debere arbitrentur, Moralemqve disciplinam* (*qvod ait Cicero*) *ostentationem*

ſcientiæ, non legem vitæ, putent. Cum tamen verus ac genuinus ſcopus Moralis Philoſophiæ ſit, ut ex illius præceptorum lectione & meditatione animus humanus amore virtutis inflammetur, ut ad virtutem perpetuo anhelet, ut virtutem denique aſſeqvatur, cumqve ipſa virtute veram ac ſolidam Felicitatem. Hunc vero errorem, Philoſophiam activam tam docentibus qvam diſcentibus eripere ſategit jam olim Seneca, ſcribens Epiſt. 16: *Non eſt Philoſophia populare artificium, nec oſtentationi paratum: non in verbis, ſed in rebus eſt. Nec in hoc adhibetur, ut aliqua oblectatione conſumatur dies, & dematur otio nauſea: animum format & fabricat, vitam diſponit, actiones regit, agenda & omittenda demonſtrat, ſed & ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit curſum &c.* Ac ſpeciatim qvidem per maximam ſeculi prioris partem

introducta fuerunt in plurimas Germaniæ ſcholas Compendia Ethices vel ex ſolo Ariſtotele, vel mirabili miſtura ex Ariſtotele & Scholaſticis contexta; qvorum tractationi & explicationi tam ſuperſtitioſe immorari atqve immori multos vidimus docentes, ut ſacrilegium ſe commiſſuros fore putaverint, ſi vel latum ungvem a formulis iſtis ac definitionibus receſſerint, aut cœlum ruiturum, ſi ullam Ariſtotelis hypotheſin concuſſerint. Eqvidem ſæpe monui, non omnia Ariſtotelis dogmata univerſe proſcribenda eſſe, ſed ex iis etiam, qvæ bona ſunt, retinenda & commendanda; emendanda vero, qvæ indigent correctione, & qvæ deſunt, ex accuratioribus Ethicorum ſcriptis, ipſoqve Dei Verbo, ſupplenda. Nempe enim Ariſtotelem hominem fuiſſe qvis ignorat? eumqve ut in Phyſicis, ita & Moralibus, ſæpius lapſum, ipſi ſectatores ejus

cor-

cordatiores non possunt diffiteri. Sane Rachelius Peripato addictissimus in Disput. de Honesto conqveritur, Aristotelem in libris suis Moralibus, non, nisi rarissime, nec, nisi obiter, Dei mentionem injecisse. Et Conringium de Civil. Prudent. cap. IIX. p. m. 129. confiteri non puduit, in Ethicis Aristotelis valde παχυλῶς plurima tradi; propter admodum erroneam ejus de Deo & animabus nostris sententiam. Proinde non falsa est qverimonia Wendelini, quam jactat ille in præfatione Philosophiæ suæ Morali præmissa, his fere verbis: *Ægre ferendum, quod ubivis fere locorum unus Aristoteles, tanqvam dictator, Ethicis scholis præsit, unus omne punctum ferat, unusqve discentium & docentium studia occupet, ita quidem, ut placitis ejus nemini fas sit intercedere. Dolendum est, negligi veteres & exqvisitos morum magistros, qui Aristotelem vel*

ante cesserunt, vel ex intervallo non adeo longo secuti sunt; qvales Socrates, Plato, Xenophon, Cicero, Plutarchus, Epictetus, Seneca, Maximus Tyrius, & alii, qui non tam de virtutibus cum peripateticis scholis disputarunt, qvam ad virtutem discentium animum inflammarunt; qvod practicam non theoreticam disciplinam esse Ethicam cogitarent. Singillatim vero ab Aristotele; & in Ethicis ex eo concinnatis, minus accurate traditur doctrina de Sum̃o Bono; id qvod sane non est Virtus, aut Operatio secundum Virtutem, sed DEVS, Bonum (ipso fatente Stagirita) omni Virtute præstantius. Suos etiam manes patitur doctrina de Principiis Actionum humanarum; illa enim, qvæ Peripatetici recensent, Spontaneum, Electio, Consultatio &c. principiata potius & modi Principiorum talium sunt, qvam ipsa principia. Porro ubi de Caussis Virtu-

tum illi agunt, altum est de Deo ejusqve Gratia silentium. Ad Affectus qvod attinet, ipse Aristoteles in Ethicis doctrinam hanc ne levi qvidem brachio attigit; ejusqve asseclæ in ejusmodi Epitomis nil nisi qvæstiones qvasdam de Affectuum numero & definitionibus proponunt, de mediis interim eos cohibendi ac moderandi parum soliciti. Ecqvis præterea neget Virtutum Aristotelicarum enumerationem esse valde insufficientem; cum Pietas, virtutum omnium fundamentum, Αυτάρκεια, Taciturnitas, aliæqve complures earum præstantissimæ sint prætermissæ. Ut ne qvid dicam de Virtutibus Intellectualibus, qvæ (si solam Prudentiam, utpote Virtutum moderatricem, exceperis) ad Philosophiam practicam minime pertinent. *Intelligentia* certe, *Scientia & Sapientia, Philosophiam theoreticam constituunt, & media sunt ad felicitatē theore-*

ticam

ticam: Ars omnino ad Philosophiam non pertinet, qvia hominis animum nulla felicitatis parte imbuit (qvod tamen Philosophiæ munus est) sed tantum circa instrumenta vitæ occupata est; qvæ sunt verba Burgersdicii Id. Phil. Mor. cap. X. §. 9. Ab ejusmodi igitur nævis ac defectibus purgatum Ethices Compendium in manus nobilis ac studiosæ pubis Gymnasium Egidianum, lætioribus subinde incremẽtis jam efflorescẽs, freqventantis ut daretur, auctoritate publica a DOMINIS & CVRATORIBVS nostris mihi injunctum est. Quorum imperium ea, qva par est, pietate exsecuturus, conscripsi non justum qvidem volumen, (qvale qvidem reqvirit doctrina moralis omni ex parte integra, cunctisqve a nævis ac defectibus liberata) sed, prout hoc facere jussus sum, librum parvum, portatilem, & tironibus Philosophiæ practicæ idoneum; in qvo τὰ πρα-

κτικὰ

κ]ικὰ πρακ]ικῶς magis qvam θεωρη-τικῶς pertracto, ac methodo qvidem Synthetica, præmissis προλεγομένοις, exordior ab Aretologia Generaliore, qvæ doctrinam de Virtute, hujusqve (1) Caussis, (2) Subjecto (3) Objecto, i. e. Actionibus & Passionibus sive Affectibus, perspicue explicat, & qvomodo hi frænandi, inqve ordinem redigendi sint, per certas Regulas, Remedia & Exempla fideliter monstrat. Dein progredior ad Aretologiam Specialiorem, qvæ solidam ac sufficientem Virtutum moralium enumerationem, earumqve Definitiones, Objecta, Officia, & Opposita complectitur, ac singulis etiam Exempla pariter tam e sacræ qvam civilis historiæ scriniis petita subnectit. *Melius qvippe homines exemplis docentur, qvæ imprimis hoc in se boni habent, qvod approbant, qvæ præcipiunt, fieri posse*, teste Plinio in Paneg. c. 45. Accedunt insuper præcepta necessaria de Virtutum modera-


trice, Prudentia ac Decoro, commodis itidem Exemplis illustrata. Finem deniqve opusculo imponit doctrina de Præmiis Virtutum, qvæ constituunt hominis his in terris Felicitatem; sive Evdæmonologia, qvæ a Peripateticis & Scholasticis obscure satis, multisqve litigiorum nexa nodis, hìc autem, uti spero, dilucide ac expedite proponitur. Utor ubiqve libertate Eclectica, non in magistri unius verba jurans, sed nunc in veteres Academiæ fundos, Lycei ambulacra, Zenonis porticum, nunc in juniorum hodieqve clarentium Philosophorum auditoria ac hortos exspatians; nec qvis qvid dixerit, sed qvam recte dictum, considerans. *Compendio Ethico* subjuncta est a me *Prolusio Oratoria*, summam totius morum Philosophiæ ἐν ἐπιτομῇ, & qvasi Iliadem in nuce, complectens, stilo florido, ætati juvenili non ingrato, conscripta, ac publice qvondam, post Ferias Academicas, sub prælectionum me-

mearum moralium primordia, e ſuggeſtu recitata. Amant enim alterna Camœnæ; & *Sapientiæ præcepta,* ſcribente Qvintiliano, *etiamſi natura ſint honeſta, plus tamen ad formandas mentes valent, qvoties pulchritudinem rerum claritas orationis illuminat.* Poſtremo *Epitome Jurisprudentiæ Naturalis* in gratiam auditorum qvorundam, Academicorum hoc petentium, adjecta eſt, qvæ Officia hominis ac Civis ſuccinčte tradit, juvenumqve animos ad legenda & facilius intelligenda Scripta imprimis Pufendorfiana, hoc de argumento edita, præparare valet.

Hæc in veſtibulo præmonenda duxi, Lector benevole! Tu nunc ipſum ingredere Virtutum Theatrum, idqve unice da operam, ut inde non doctior tantum, ſed & melior egrediare. Faxit DEUS, ſic iſta diſcamus, ut, qvæ fuerũt verba, fiant opera; eaq; omnia cedant in ter ſancti Nominis ſui gloriam, noſtramqve perpetuam felicitatem!

ERRATA.

Pag. 11. lin. antepenult. & penult. leg. *Quodnam eſt Subjectum Virtutis?* p. 57. l. 9. leg. τῇ ἀυταρκείᾳ. p. 66. l. 1. leg. ſubiret. p. 91. verſus fin. l. Puſillanimitas. p. 152. verſus fin. l. Geneſ. XVIII. p. 153. l. 9. l. Cæſar Lib. VI. de B. G. pag. 246. l. 16. l. liliorum argentum, roſarum purpura. p. 274. l. 1. cauſſa. p. 230. l. antepenult. l. *Diſtributivam*. p. 334. l. ult. l. lætum. p. 367. lin. 2. l. pauca. Plura ſi occurrerint, Lectoris benevoli judicio atqve induſtriæ corrigenda permittuntur.



B. C. D.

COMPENDIUM ETHICUM.

PROLEGOMENA De Natura Ethices, hujusque Partitione.

Qvomodo Veteres Philosophiam diviserunt?



IN *Moralem*, *Naturalem*, & *Rationalem*; quarum prima bene ac socialiter vivere, altera de rebus naturalibus ac divinis disputare, tertia bene disserere, verumque a falso dignoscere docet. Ad primam

retulerunt Ethicam & Politicam; ad ſecundam, Phyſicam, Metaphyſicam & Matheſin; ad tertiam, Rhetoricam & Dialecticam.

[Seneca Epiſt. 89: *Philoſophia tres partes eſſe dixerunt & maximi & plurimi auctores: Moralem, Naturalem & Rationalem. Prima componit animum; ſecunda rerum naturam ſcrutatur; tertia proprietates verborum exigit & ſtructuram & argumentationes, ne pro vero falſa ſurrepant.* Cic. V. de Finibus: *Triplex eſt Philoſophia: Una pars eſt naturæ, diſſerendi altera, vivendi tertia.* Diogenes Laërtius, in Vita Zenonis, pulcerrimis Similibus diviſionem hanc illuſtrat. Præter his, e veteribus Plutarchus & Auguſtinus, e junioribus Mirandulanus, Voſſius, Hameliu, aliique magnopere illam commendant. Add. Lipſ. Manuduct. ad Stoic. Philoſ. Lib. II. Diſſert. V. & VI.]

Hodie vero in Scholis quomodo Philoſophia dividi vulgo ſolet?

In *Theoreticam* & *Practicam*. Quæ diviſio deſumta eſt a Fine, quemadmodum prior illa ab Objecto. Sub Theo-

Theoretica comprehendunt Physicam, Metaphysicam, & Mathesin: sub Practica, Ethicam, Oeconomicam & Politicam. Dialecticam & Rhetoricam vocant Habitus Instrumentales, illos Principales.

Qvomodo inter se differunt partes Philosophiæ Practicæ?

Ethica præscribit officium boni *viri*, Oeconomica boni *patris-familiâs*, Politica boni *civis*. Vel: Ethica est prudentia *honeste* vivendi, Oeconomica prudentia *commode* vivendi, Politica prudentia *socialiter* vivendi. *

[* Vid. Cl. Becman. Medit. Polit. Cap. I. § 2. Add. Lips. Manuduct. ad Philos. Stoic. Lib. II. Dissert. V. ubi dicitur: *Ethica est, quæ mores, vitam, regimen singulorum hominum* (sive extra sive intra societatem viventium) *considerat & format; Oeconomica, quæ domus cujusque & familiæ; Politica, quæ civitatis totius aut societatis.*]

Qvid est Ethica?

Est ars bene feliciterque vivendi. Sive, est disciplina hominem bonis moribus ac virtutibus informans, ad summam felicitatem hac in vita consequendam.

[*Ethica* denominationem suam accepit ἀπὸ τῶν ἠθῶν, a *moribus*, circa quos formandos illa versatur. Sunt verò *Mores*, vivendi ratio usu & consuetudine firmata. Hinc & alii Ethicen ἀπὸ τοῦ ἔθους à *Consuetudine* derivant. Ad Genus quod attinet, vocetur Ethica *Ars*, *Doctrina*, *Disciplina*, *Scientia*, *Prudentia* &c. parum refert; dummodo satisfiat rerum veritati & morum honestati. Vid. Heider. Philos. Mor. p. 16. 17. 18.]

Qvod est Objectum Ethices?

Objectum (sive Subjectum Tractationis) sunt recti mores, horumque præmium felicitas: Subjectum Informationis est homo quivis, rationis usu valens, quatenus ad rectam & felicem vitam perducendus.

[Non

[Non igitur arcendi sunt juvenes a Scholis Ethicis, sed advocandi potiùs illo Persii: *Petite hinc juvenesque senesque Finem animo certum, miserisque viatica canis!* Et Seneca Epist. 76: *Omnis ætatis homines hæc schola admittit: in hac senescamus; hanc ut juvenes sequamur!*]

Qvot sunt partes Ethices?

Duæ; quarum prior agit de cultura & regimine animi, sive *Virtute*; posterior de Virtutis præmiis, sive hominis *Felicitate*. Illam Ἀρετολογίαν, hanc Εὐδαιμονολογίαν nominant.

Cur præmittitur hic Aretologia?

Quamcunque præmittas partem, parum refert: poteſt enim Ethica & Synthetica & Analytica methodo tradi, prout docentium ratio aut stomachus, vel discentium captus, id exigit.

[Totam hanc controversiam, *Utrum Ethica methodo Synthetica an Analytica tradi debeat?*

at? ad Logicam, non ad Ethicam pertinere, fatetur ipse Hornejus in Phil. Mor. Lib. I. cap. 2. pag. 24. Et Sam. Pufendorfius in Præfat. Elem. Jurisprud. ait: *Quæ de differentia methodi Synthetica & Analytica vulgo feruntur, inania sunt.* Instas: In practicis ante omnia Finem esse respiciendum. Resp. De ipsa praxi concedo; adeoque Ethica, ut sic dicam, *Utens*, quod in executione ultimum est, in intentione primum amplectitur: Ethica verò *Docens*, methodo Synthetica commodiùs tradi potest. Quin & ipsis Aristotelicis objicere possis: Si finis hominis ultimus (ex mente ipsorum) est operatio animæ, secundum virtutem optimam & perfectissimam; scire priùs debeo, quid sit Virtus, quæ optima & perfectissima? &c.



PARS

PARS PRIOR.

SECTIO I.

ARETOLOGIA GENERALIOR

five

Doctrina de Virtute, hujusque Caussis, Subjecto & Objecto.

Qvid hoc loco est Virtus?

EST constans animi propositum studiumque, se & actiones suas ad divinam Voluntatem componendi.

[Paucis tantùm verbis, non re ipsa, a nobis dissentiunt, qui Virtutem per *constans animi propositum vitam ad legem componendi* definiunt.]

Qvotuplici modo Voluntas divina nobis manifestatur?

Tum per Legem Naturæ, tum per Legem Scripturæ: illa hinc *Naturalis*, hæc *Revelata* dicitur.

[Legem Dei *Revelatam* interpretatur nobisque commendat Theologia Moralis ; *Naturalem* Philosophia moralis.]

Qvid eſt Lex Naturæ?

Eſt decretum Numinis per rectam rationem hominibus innoteſcens, eosque obligans ad faciendum vel omittendum, quod cum natura hominis convenit vel non convenit.

Sive: eſt dictamen rectæ rationis, hominem obligans, ut rationaliter & ſocialiter vivat.

[De Lege Naturæ, ut Norma actionum noſtrarum, ejusque præceptis, ac Virtutibus eò reducendis, mox ſuo loco tradentur plura.]

Qvænam eſt Cauſſa Principalis Virtutis?

Cauſſa Principalis eſt DEVS, uti omnis Boni, ita & Virtutis, auctor. Hic uti bonum opus in nobis incipit, ita & perficit; piisque rogatus precibus, gratiæ ſuæ auxilium & ardorem miniſtrat, ut ingreſſi Virtutis iter, con-

ſtanti

ſtanti curſu perſequamur, & viam hanc crebro calcantes, majores usque & usque progreſſus faciamus.

[Idem & agnoverunt ſapientiores gentiles; è quibus Plato, circa finem Menonis, Virtutem non tam Doctrina & Natura, quam *divina ſorte*, nobis obtingere docet. Seneca Epiſt. 41: *Bonus vir ſine Deo nemo eſt.* Idem Epiſt. 10: *Roga* (Deum) *bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis!*]

Quæ ſunt Cauſſæ adminiſtræ, Incitamenta & Adminicula, acquirendæ Virtutis?

(1.) Doctrina & Legum inſtitutio; (2.) Bona Educatio & Exercitatio; *a* (3.) Validiſſima ad parendum divinis Legibus obligatio: harum enim lator, Deus, eſt noſter creator, conſervator, Dominus, exemplar &c. *b* (4.) Accuratum actionum noſtrarum examen quotidie inſtituendum. *Faciebat hoc Sextius, ut conſumato die, cum ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum*

ſuum: Quod hodie malum tuum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? qua parte melior es? Senec. III. de Ira cap. 36. *c*.

a) Hinc & Ariſtoteles ſcribit X. Nicom. cap.ult n 20. & ſeqq. *A teneris rectam ad Virtutem inſtitutionem adipiſci difficile fore, niſi accedat diligens ac bonis legibus accommodata educatio.* Sic apud Platonem dicitur: *Nonne exercitationes honeſtæ ad Virtutem acquirendam conducunt; turpes verò ad pravitatem?* Lib. IV. de Rep. Et cum B. Erh. Weigelio optandum, ut ejusmodi Virtutum Scholæ inſtituantur, in quibus juventus a pueritia, quotidianis Pietatis, Temperantiæ, Veracitatis, aliarumque pulcerrimarum virtutum exercitiis aſſueſcat, ſicque in Virtutis ſtudio ſtadioque feliciores ſubinde progreſſus faciat.

b) Hinc vetus illud Philoſophorum præceptum: *Deum ſequere!* Senec. de Vit. Beat c. 15. Et univer-

ſale

sale istud omnis juris principium, *Imperanti parendum!* eique proxime subordinatum: *Deo pare!*

c) Add. Ausonii Edyll. XVI.

Quæ est Caussa Finalis Virtutum?

Scopus seu Finis Virtutum ultimus, isque præcipuus, est Gloria Dei. Bias apud Laërtium in Vit. *Quicquid boni egeris, ad Deum refer.* a Dein etiam Præmia tum in hac vita, tum post illam, a Deo consequenda. b

a) Add. 1. Cor. X. 31.

b) 1. Timoth. IV. 8.

[Notanter Phil. Melanchthon: *Usitatum est in Philosophia dicere, Virtutem sibi ipsi finem; sed rectius est, etiam secundum rationem, addere alium potiorem finem, scilicet, ut propter Deum expetatur Virtus. Joseph ab aliena uxore abstinet, ut Deo obediat &c. Principaliter expetenda est Virtus propter Deum; sed postea etiam propter præmia æterna & præsentia.* Epit. Philos. Mor. p. 36.]

Quodnam est Objectum Virtutis?

Subjectum. *Quod* est Homo; agi-

mus enim in Ethicis de Virtute Hominis; non Dei aut Angelorum. Subjectum *Quo* est Animus, sive Anima hominis rationalis. Cognitio enim ac sequela divinæ Voluntatis pertinent ad Intellectum & Voluntatem. Neque tamen diffitendum, ad Appetitum quoque sensitivum pertinere aliquo modo Virtutis studium, dum istius ἀταξίαν (inordinationem) emendare, eumque rectæ rationi subjicere satagit. Ubi notetur regula Ciceronis I. Offic. *Ratio præsit; appetitus obtemperet!*

Quid est Anima rationalis?

Est substantia spiritualis, ratione prædita & immortalis, regendo corpori accommodata. Complectitur Intellectum & Voluntatem.

Doctrina de Anima hominis ex Physica accuratiore peti debet. Numerantur tres ejus facultates: (1) *Vegetativa*, quæ sub se comprehendit Vim Nutriendi, Crescendi & Generandi sibi simile. (2.) *Sensitiva*, quæ comprehen-

prehendit vim a) Cognoscendi per Sensum vel externum e. g. visum, auditum &c. vel internum, nempe Sensum communem, Phantasiam & Memoriam: b) Appetendi, seu Appetitum sensitivum; qui vel est Concupiscibilis, quo animal in Bonum sensibus gratum fertur: vel Irascibilis, quo Malum sensibus ingratum aversatur; c) Loco movendi, quæ vel est totius corporis, vel partium corporis, v. g. capitis, oculorum, manuum &c. (3.) *Rationalis*, complectens vim Intelligendi & Volendi. Anima Vegetativa homini communis est cum plantis & brutis: Sensitiva cum brutis: Rationalis homini est propria.] +

Qvid est Intellectus?

Est vis Animæ rationalis, quæ res sibi objectas cognoscit ac dijudicat.

Sunt functiones ejus duæ: ***alteram*** exercet, quando res tantùm velut in speculo contemplatur, earumque convenientiam aut disconvenientiam, bonitatem aut malitiam, simpliciter cognoscit: ***alteram*** exercet, quando in tali cognitione non acquiescit, sed id, quod cognoscit, applicandum vel agendum esse judicat, rationes in utramque partem

se offerentes expendit, & comparatione diligenter instituta, de mediis ad finem maxime accommodis deliberat. A priore functione Intellectus humanus denominatur Theoreticus; a posteriore Practicus. Utriusque verum judicium dicitur *Recta Ratio*.

Dicas igitur breviter, quid sit recta Ratio?

Est verum intellectus humani, de rebus, uti sunt, judicium.

Recta igitur *ratio* non est ipse Intellectus humanus: non enim errat recta ratio; intellectus autem sæpe & graviter errat; sed est rectum intellectus de rebus judicium. Estque vel *Theoretica*, quando judicat de rebus Theoreticis, verumque aut falsum quid pronunciat; vel est *Practica*, quando de practicis judicat, & aliquid appetendum vel fugiendum, faciendum vel omittendum statuit.

Super-

Supereſtne homini, poſt lapſum adhuc, circa practica ſive moralia, ejusmodi rectum Intellectus judicium?

Utique. Cuilibet enim homini, matura ætate *a* & mente integra *b*, tantum ſupereſt luminis naturalis, ut adhibita cultura ac debita meditatione, *c* poſſit recte comprehendere ſaltem generalia illa principia, *d* quæ ad vitam hanc honeſte & tranquille agendam faciunt, ſimulque, quid naturæ humanæ conveniat, quid disconveniat, judicare. Hoc enim niſi intra ſphæram fori humani ſaltem admittatur, graviſſimis etiam delictis ſuis *e* homines ignorantiam invincibilem *f* obtendere valerent, adeoque nec flagitia illis imputari, nec pœnæ infligi poſſent.

a *Matura ætate*) h. e. quamprimum rationis uſus ſe exerit, & vel ſoli termini percipiuntur: e. g. quam-

primum

primum homo perceperit, quid sint parentes, quid venerari, statim noverit, Parentes esse venerandos.

b *Mente integra*) Nemo igitur nobis objiciat furiosos, qui mente sua, ad intelligenda principia prima divinitus nobis indita, uti nequeunt.

c *Adhibita cultura ac debita meditatione.*) Feri ergo ac barbari homines hinc exulant, qui non debitam animorum suorum adhibent culturam, ut principiis naturalibus intelligendis eos reddant idoneos.

d *Saltem generalia illa principia*) Imprimis Practica, quæ sunt hujus loci, e. g. Deum esse colendum, Neminem lædendum &c.

e *Gravissimis etiam delictis suis*) v. g. furtis, latrociniis &c.

f *Ignorantiam invincibilem*) Quæ sine culpa nostra nobis obrepit, adeoque pœnæ non est obnoxia.

[*Quomodo e SS. Scripturis quoque probari possit, dari etiam nunc post lapsum in nobis rectam rationem*; *vid in Horneji Philos. Mor. Lib. II. Cap. 2. Conf. Cl. Krebsii Morum & Juris.*

Juris Scient. Univ. Lib. III. Cap. 10. quod agit de Recta ratione.

Qvid est Voluntas?

Est vis animæ rationalis, qua rem ab intellectu cognitam, ut bonam appetimus, ut malam aversamur. Vocari aliàs solet *Appetitus rationalis*.

Qvomodo Voluntas munus hoc suum exercet?

Per *Liberum Arbitrium*, sive duplicem suam Libertatem; quarum altera dicitur Libertas *Contradictionis* *, quæ circa unius solùm objecti electionem aut rejectionem versatur. Sic homo potest ambulare & non ambulare. Ita Adam potuit peccare & non peccare. Altera vocatur Libertas *Contrarietatis* **, quando ex pluribus objectis unum vel aliqua eliguntur. Sic homo liberè potest legere aut scribere.

*- Appellatur illa Libertas *Contradi-ctionis*, quia versaturcirca contradictoria: item *Exercitii*, quia in potestate tua est, actionem hanc exercere & non exercere.

** Nominatur Libertas *Contrarietatis*, quia versatur circa contraria, aut saltem disparata; item *Specificationis*, quia specificantur in ea actus plures, quos producere Voluntas potest. +

Qvidergo est Liberum Arbitrium?

Est naturale Voluntatis adjunctum, quo homo, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere & non agere; * potest agere hoc & agere illud. **

* Secundum Libertatem Contradictionis.

** Secundum Libertatem Contrarietatis.

Qvo-

Qvomodo probas, esse in nobis tale Liberum Arbitrium?

Ab experientia & interno testimonio, quo se libere agere quivis agnoscit. Et cur supplicia male agentibus decernuntur, si in eorum potestate non est, ut a sceleribus abstineant? Ita nemo laude, nemo vituperio dignus foret, si quædam agendi necessitas nobis dominaretur: frustra etiam ferrentur Leges civiles, & instituerentur deliberationes.

Notetur tamen, Liberum Arbitrium nos habere in rebus externis moralibus & civilibus; non verò spiritualibus & cœlestibus. In his enim Deus operatur & velle & perficere, pro sua voluntate. Tantum de *Subjecto*: nunc de *Objecto*.

Qvod est Virtutis Objectum?

Aliud est Generale, aliud Speciale. De Speciali agitur in Aretologia specialiore, ubi singularũ Virtutum objecta

jecta consideramus. *Generale* verò Virtutis objectum sunt Actiones humanæ & Affectus; sive *Actiones* & *Passiones*.

[Græci appellant πράξεις καὶ παθήματα. In *Actionibus* enim nostris bene dirigendis, & *Affectibus* ad rectam rationem conformandis, Virtus Ethica quàm maxime occupatur.]

De quibus Actionibus hìc sermo est?

Sermo est non de quibusvis hominis actionibus; sed de illis, quæ ab homine, quà tali, proveniunt, & cum usu rationis libertatisque exercentur. Proinde non agitur hoc loco de Actionibus hominis Naturalibus, neque Artificialibus, sed Moralibus.

[*Naturalis* hominis actio est determinata ad bonum vel malum naturale; unde nec laus nec vituperium expectandum: ut, edere, bibere, generare &c. *Artificialis* determinata est ad bonum vel malum artificiale, quod ad mores nihil confert; ut tornare, ædificare &c. Actio verò *Moralis* est motus hominis ad

ad bonum vel malum morale determinatus; quique alicui potest imputari ad laudem vel vituperium, praemium aut poenam, aliosque effectus morales; ut, dare pauperibus, patriam defendere aut prodere &c.]

Quae sunt Principia Actionum ejusmodi Moralium?

Alia sunt *Interna*, quae intra hominem reperiuntur; nempe Intellectus & Voluntas, praecipuae dotes, a Deo homini prae brutis concessae. Alia *Externa*, quae sunt extra hominem, vires tamen suas in hominis intima quaeque explicant; ut aliorum suasio, dissuasio, hortatio, dehortatio, jussio, comminatio, promissio, laus, vituperium, praemium, poena &c.

[Principia Actionum varii varie enumerant. Nos, illustrem Pufendorfium aliosque cordatiores secuti, duo numeramus Interna: *Intellectum* & *Voluntatem*. Hinc & Actio Humana ab eodem Pufendorfio definitur per *motum, ab illis hominis facultatibus procedentem, quas humano generi prae brutis Creator O. M. attribuit; nempe qui velut praelucente*

cente Intellectu, ac decernente Voluntate suscipitur. de Offic. H. Lib. 1. cap. 1. §. 2.

Quomodo Intellectus & Voluntas ad Actiones Humanas concurrunt?

Intellectus rem agendam vel omittendam primò comprehendit & dijudicat; *Voluntas* dein eam appetit ut bonam, aut aversatur ut malam. Adeoque ille Principium actionis quasi *Dirigens*, hæc *Imperans* & *Exequens*, dici consvevit.

[Ubi circa actionem suscipiendam aut omittendam deest Cognitio Intellectus, vocatur *Ignorantia*. Ubi verò Intellectus non solùm cognitione veri est destitutus, sed & ejus loco falsa persuasione imbutus, *Error* appellatur. Voluntas est facultas libera, quâ homo non tantum *sponte* i. e. sine intrinseca necessitate quadam determinante, sed & *liberè*, h. e. præsentibus diversis objectis, potest agere & non agere; agere hoc & agere illud: veluti suprà percepimus. Atque adeò, quando Actio ab homine sciente ac volente, citra ignorantiam & coactionem, profecta est, tunc effectus ejus homini imputari possunt, ipseque *Causa moralis* actionis illius dici solet.]

Quæ

Quæ est Norma Actionum Humanarum?

Norma Actionum humanarum directiva est *Lex*. Hinc ab utroque Grotio Lex describitur, quod sit regula actuum moralium, obligans ad id, quod rectum est.

[*Obligatio* est vinculum juris, quo morali necessitate rei alicujus præstandæ adstringimur. Injicitur enim per eandem quasi frenum quoddam morale nostræ agendi libertati, ut in diversam, quam quo illa ducit, partem tendere rectè non possimus. Vid. plura de Actionum Humanarum Norma in Mor... & Juris Scient. Univers. Venerab. Krebsii Lib. I. c. 6.]

Quæ verò Lex hìc intelligitur?

In Philosophia Morum, actionum nostrarum norma potissimùm * est *Lex Naturæ*, a Deo hominum mentibus implantata. Quod *Opus Legis cordibus nostris inscriptum*, (uti vocatur ad Rom. II, 15.) apud saniores gentiles norma erat, esse certe debe-

bat

bat, actionum moralium, ad quam hæ erant conformandæ : & si congruerent, bonæ ac honestæ, si deflecterent, malæ ac vitiosæ dicebantur.

[Idem volunt Stoici, Virtutem collocantes in Congruentia morum cum natura; sive, ut in actionibus nostris Deo & naturæ pareamus. Nempe quemadmodum vita & actiones hominis Christiani æstimantur ex convenientia cum Lege Scripturæ; ita vita & actiones hominis quà talis, h. e. naturali ac sociali natura præditi, æstimandæ sunt ex convenientia cum Lege Naturæ. Vid. B. Meisneri Philos. Sobr. Tom. I. in Quæst. Practicis, pag. 304. 305.]

* Quanquam non prorsus hic excludantur *Leges Positivæ Humanæ*; modò sint necessitantes, non permittentes, ac Legibus Divinis non repugnent.

Qvomodo ergo distinguuntur Actiones Morales?

Distinguuntur vel ratione *Principiorum*, unde proficiscuntur; vel ratione *Normæ*, ad quam sunt conformandæ.

Qvo-

Quomodo ratione Principiorum?

In Spontaneas sive Voluntarias, Invitas & Mixtas.

Quid est Actio Spontanea?

Spontanea (quæ Ciceroni *Voluntaria* dicitur) est, cum quis agit sciens ac volens. Reqviruntur ergo duo ad illam: (1.) Notitia omnium, aut saltem præcipuarum, actionis circumstantiarum, quæ vulgari continentur versiculo, *Quis? Quid? Ubi? Quibus auxiliis? Cur? Quomodo? Quando?* (2.) Assentiens Voluntas. Sic e.g. Josephum fratres ipsius sponte ac voluntarie vendiderunt, Genes. XXXVII.

[Recte Aristoteli definitur Spontaneum, *cujus principium* (nempe Voluntas) *est in agente, cognoscente singula*, (singulas circumstantias) *in qvibus actio consistit*. Reqviritur ergo præter Notitiam etiam Voluntas; cui tamen non repugnat, aliunde (v.g. Dei instinctu, vel

vel rationibus svadentium & exhortantium) ad agendum moveri.]

Qvid est Actio Invita?

Cum quis agit nolens, vel ignorans. Estque adeo duplex: Vel enim fit per vim, & *Violenta* dicitur: vel per Ignorantiam, & *Imprudens* appellatur.

Qvid est Actio Violenta?

Actio Violenta est, qvæ fit a principio externo, contra agentis, vel patientis potius, voluntatem; ut si qvis robustior manum meam arripiat, & alterum ea, me nolente, percutiat.

[Ita Lucretiæ a Sexto Tarqvinio vis fuit illata. Vid. Liv. Lib. 1. cap. 58. Talis actio, si *pure* fit *violenta*, meretur veniam, & coacte agentem moraliter obligat neqve ad culpam, neqve ad pœnam.]

Qvid est Actio Imprudens?

Qvæ provenit ab agente circum-

stan-

ſtantiarum qvarundam ignaro, ſubſeqvente dolore ac pœnitentia. X

[Eſt namque Ignorantia alia, qvam ſeqvitur dolor ac pœnitentia: talis erat Oedipi, qvi patrem ex Ignorantia interfecit, & matrem, qvam non noverat, uxorem duxit. Quo gemino errore cognito, eò doloris proceſſit, ut oculos ſibi erueret. Vid. Hofmanni Lexicon Univerſ. P. 1. voc. *Oedipus*. Alia, qvam non ſeqvitur dolor ac pœnitudo: qvalis de qvodam narratur apud Plutarchum, qvod, cum lapidem jaciens in canem, novercam percuſſiſſet, dixerit: *Euge, ne ſic quidem male!* Prior illa Ignorantia, quæ juncta eſt cum dolore, & nulla noſtra culpa contracta, actionem reddit invitam, agentemqve excuſat: poſterior verò actionem invitam non reddit, nec veniam ita meretur, qvam ſi doleret facto.]

Qvomodo differunt Agere per Ignorantiam & Agere Ignorantem?

Priore modo agenti Ignorantia princeps actionis cauſſa eſt; qva remota, nunqvam futura fuiſſet actio. Ut, ſi qvis conſangvineam ducat in matrimonium neſcius; vel ſpiſſis in tenebris incurſet in aliqvem, eumque

lædat. Posteriore modo agenti alia est caussa principalis, cum qva tamen Ignorantia concurrit; ut, si qvis profunde ebrius alterum vulnerat, agit qvidem Ignorans, sed non per Ignorantiam; qvia hæc non est caussa delicti principalis, tametsi cum isto conjuncta, sed Ebrietas.

[*Si qvis agit per Ignorantiam*, tunc actio est Invita, & agens venia dignus, qvando factum seqvitur dolor ac pœnitentia; si qvis vero agit *Ignorans*, tunc actio non simpliciter dicitur Invita, neque agens exsors est culpæ: Ignorantia enim, qvæ ex Ebrietate provenit, est adscititia & evitabilis.]

Qvid est Ignorantia Universalis sive Juris?

Qva communia Juris præcepta ignorantur. Estqve duplex, vel *Juris Naturæ*, cum ea, qvæ Juris Naturæ sunt, ignoramus, v. g. homicidium aut furtum esse illicitum. Vel est *Juris Positivi*, cum qvis ignorat, qvod Lege Civili, sua in civitate, est deter-

determinatum, v. g. in Imperio nostro VII testes ad testamentum solenne adhibendos esse.

[Ignorantia *Juris Naturæ* neminem excusat; neqve etiam Ignorantia *Juris Positivi* facilè admitti excusationem. Dantur tamen casus, ubi posterior veniam agenti impetrat, v. g. si qvis in civitate aliqua non diu sit versatus; aut si lex qvædam noviter fuerit promulgata; vel ità proposita, ut in notitiam subjectorum pervenire non potuerit. Vid. Sveton. in Caligula cap. 41. init.]

Qvid est Ignorantia Particularis sive Facti?

Qva ignoramus unam itemqve alteram actionis nostræ circumstantiam, e. g. (1) *Personæ*. Ita cum Paulus Actor. XXIII. v. 3. 4. 5. Ananiam durioribus compellasset verbis, excusavit se, qvod nescierit, hunc esse summum Sacerdotem. (2) *Rei sive Objecti*, e. g. cum qvis arcana, qvæ tamen arcana ignorabat, evulgat. (3) *Temporis*, v. g. cum qvis ignorat,

eo die judicium haberi, cui se sistere debebat &c.

[Hæc Ignorantia Particularium Circumstantiarum (utpote circa qvas est summa varietas) actionem reddit invitam, & excusat; modo (1.) careat dolo, (2.) culpa nostra non sit acquisita, (3.) subseqventem habeat dolorem ac pœnitentiam.]

Annon dividitur Ignorantia in Vincibilem, & Invincibilem?

Etiam. *Vincibilis* est, qvam adhibita industria qvis evitare poterat, & notitiam necessariam comparare; e.g. si studiosus qvispiam uti velit excusatione, se hanc vel illam Legem Academicam ignorasse. *Invincibilis*, qva qvis nullis diligentiæ viribus cognitionem debitam sibi acqvirere poterat; e.g. si qvis ignorat futura.

[Prior illa non facile, posterior vero semper meretur excusationem; si sit invincibilis non tantum *in se*, sed etiam *in sua caussa*.]

Qvid

Qvid est Actio Mixta?

Actio Mixta dicitur ejus, qvi incumbente graviore necessitate aliqvid, ut minus malum, eligit ac suscipit, a qvo cæteroqvin extra necessitatem constitutus abhorrebat; e. g. si mercator, urgente gravi tempestate, merces suas in mare projiciat, ut allevata nave vitam conservet. Dicitur *Mixta*, qvia partim sponte fit, partim invite, ex vi ac metu imminentis mali.

Suntne Actiones Mixtæ Spontaneis seu Voluntariis magis, an Invitis, annumerandæ?

Eqvidem Invitæ dicuntur, si caussam extrinsecus moventem spectes: sin vero caussam proximam & internam consideres, plus habent voluntarii qvam involuntarii; qvia, nisi Voluntas consentiret ad hoc faciendum, membra corporis illud nun-

qvam exſeqverentur. Ac proinde Actiones ejusmodi non carent omni laude, ſi bonæ ſint, nec vituperio, ſi malæ.

[Actiones Mixtas, Spontaneis magis qvam Invitis annumerandas eſſe, Ariſtoteles aliique ſic probant: (1.) Qvæcunque actio expetitur, & præ alia eligitur, illa magis eſt Spontanea qvam Invita. Atqui Actio Mixta expetitur, & præ alia eligitur; E. (2.) Actioni Mixtæ competit definitio Actionis Spontaneæ, non vero definitio Actionis Invitæ. (3.) Qvas Actiones ſeqvitur laus aut vituperium, pœna vel præmium, illæ magis erunt Spontaneæ qvam Invitæ. Atqui Actiones Mixtas ſeqvitur laus aut vituperium &c. E.]

Da Exempla Actionum Mixtarum Laude ac Vituperio dignarum.

Aliæ merentur *Laudem*, cum qvis ob magnum declinandum malum, moleſtum quid admittit. Sic Attilius Regulus commendatur a Cic. III. Offic. qvod maluerit præſentiſſimum atrociſſimæ mortis periculum apud Carthaginenſes ſubire, qvam

qvam jusjurandum datum violare.

Aliæ *Excusationem* merentur ac *veniam*: ut si qvis magni mali effugiendi caussa, indecori qvidadmittat; e. g. qvando David simulavit furorem, ut manus Regis Philistæorum Achis effugeret. 1. Sam. XXI.

Aliæ merentur *Vituperium* & *Pœnam*; cum qvid natura turpe ac flagitiosum admittitur; ut si quis, ad evitandum supplicium & servandam vitam, patriam prodat, aut veram religionem abjuret. Non enim sunt facienda Mala (moralia) ut inde eveniant Bona. Et ex duobus Malis Tristibus minus eligendum; e Turpibus neutrum.

Utrum Actiones proficiscentes ex vehementi perturbatione, qualis est Ira vel Amor, sunt Spontaneæ an Invitæ?

Rectius dicuntur Spontaneæ, tum qvia ab interno principio profici-

ſcuntur, & circumſtantiarum ignorantiam aut coactionem non poſſunt prætendere; tum qvia in poteſtate hominis eſt, affectus ſuos frenare, ne recti honeſtiqve terminos tranſiliant.

Qvomodo diſtingvuntur Actiones Morales ratione Normæ ſive Regulæ?

Alia Actio eſt *Bona*, qvæ cum norma h.e. Lege congruit; alia *Mala*, qvæ a lege diſcrepat.

[Ad Actionem *Bonam* requiritur, ut cum lege congruat ex omni parte: at *Mala* etiam eſt, qvæ a lege diſcrepat aliqva tantùm ex parte. (2.) *Bona* actio debet eſſe materialiter & formaliter bona: *Mala* actio, etſi materialiter bona, formaliter tamen mala eſſe poteſt; & vice verſa: ut ſi qvis benefactori gratiam refert per injuriam alterius; aut ſi qvis corium furatur, ad calceos pauperibus donandos.]

Qvænam dicuntur Actiones Licitæ & Illicitæ?

Licita ſive Permiſſa actio eſt, qvam Leges

Leges neque præcipiunt neqve vetant, & qvam suscipere aut omittere in cujusvis arbitrio est relictum; ut, serere in agro tuo hordeum aut triticum. *Illicita* est, quæ fit contra legem. *Abusive Licita* vocatur, qvæ cum Lege naturali prohibeatur, per Legem civilem nulla poena coërcetur: sic potu immoderato obrui, hodie multis in locis abit impune. ×

[De qvæstione, *An dentur Actiones Morales Indifferentes?* magna olim inter Thomam & Scotum fuit, hodieqve inter Doctores Ethicos est controversia. Negant eam Hornejus in Philos. Mor. Lib. II. Cap. 7. §. 18. Philaretus in Ethica sua pag. 72. 73. & Cl. Krebsius, de Indifferentismo hoc Morali fusius agens in Morum & Juris Scientia Univers. Lib. II. Cap. 4. imprimis pag. 69. & seqq. ubi in sententiam Thomæ inclinat, illudque Apostoli urget: *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid agitis, omnia in gloriam Dei facite!* 1. Cor. X, 31.]

Qvænam est Omissio bona & mala?

Omissio bona est, qva omittitur a-

ctio mala, occasione perpetrandi oblata, ex amore Dei, & studio obediendi ejus legi. Sic Joseph ab aliena abstinuit uxore.

Omissio mala est, qva omittitur actus lege præceptus, qvem per occasionem aut facultatem præstare posses; ut, cum Parentibus aut Magistratui honor debitus non exhibetur.

[Diximus supra, Generale Virtutis Moralis Objectum esse *Actiones* Humanas & *Passiones*, siv. Affectus.]

Qvid est Affectus?

Affectus (in homine consideratus) est motus, qvo voluntas aut sensus rem oblatam prosequitur aut fugit, cum extraordinaria spirituum agitatione.

[Nobis hic de Affectibus, prout in homine sunt; sermo est. Hi igitur cum sint mixtæ mentis corporisqve actiones seu passiones, duplex eorum Subjectum Qvo constituendum est, nempe *Mens* & *Corpus*; & in Mente qvidem Voluntas seu Appetitus rationalis, & in Corpore Appetitus Sensitivus. Hinc celeberr.

Iebrr. Sturmius Affectus humanos ad Appetitum Sensitivo-Rationalem refert, eosqve vocat internas Corporis humorumque commotiones, cum Voluntatis qvodam consensu aut dissensu conjunctas &c. Vid. Phys. Conciliatr. Pars Specialiss. cap. IV. §. 4. & 5. p. 180. 281. An & qvomodo Affectus Deo, Angelis, Mentibus separatis & Brutis competant? aliis disqvirendum relinqvemus.]

Qvot numerantur Affectus?

A variis varie enumerantur. In Scholis vulgo recenseri solent XI; qvorum alii ad Appetitum *Concupiscibilem* referri solent, qui nempe in Bonum sensibus nostris & rationi gratum feruntur; ut Amor, Lætitia, Spes, Desiderium, Audentia; alii ad *Irascibilem*, qvibus Malum nobis ingratum aversamur; ut sunt Ira, Odium, Tristitia, Metus, Fuga, Desperatio.

Affectus omnes enumerare apteqve disponere velle, res est laboris ardui & successus incerti; propter temperamentorum corporis humani, & objectorum, qvæ illos excitare possunt, varietatem, caussasqve plures. Hodie

duplex eorum celebrior datur Enumeratio ac Divisio: *Scholastica*, juvenibus cognitu facilior, & *Cartesiana*. Cartesius Affectus dividit in Primitivos & Derivativos. Primitivi, qvi ex nullis aliis orti, atque adeo Simplices sunt, ipsi dicuntur sex: *Admiratio*, *Amor*, *Odium*, *Cupiditas*, *Lætitia*, *Tristitia*. Derivativi, qvi ex quibusdam eorum varie componuntur, illorumve species sunt. Sic *Admirationis species* constituit *Existimationem* ac *Despectum*; *Amoris* species, *Favorem*, *Gratitudinem* &c. Vid. ipse Cartesius in Lib. de Passionibus Animæ; Henr. Morus in Enchirid. Eth. Lib. I. Cap. 7. Philareti Ethica Lib. 1. Cap. 7.]

Qvid sentis de Admiratione, hujusque speciebus, qvas Cartesius inter Affectus numerat?

Scholastici recensent affectus, qvi in *Corde* sedem proprie habent, cumqve cordis commotione sunt conjuncti; & qvi referuntur ad Bonum a nobis perseqvendum, vel Malum aversandum: Cartesius vero abstrahit a Bonitate & Malitia ad nos relata; atqve eos etiam considerat affectus,

ctus, qvi sedem habent in *Cerebro*, & qvalemcunqve spirituum agitationem inferunt. Qvi tamen dissensus tantus non est, ut propterea rejiciendam putemus vulgarem istam Scholasticorum Enumerationem ac Divisionem: præsertim cum Hamelius & alii Admirationem nominent *Passionem improprie talem.* x

[Vid. Hamel. in Philos. Moral. Tractat. III. Disp. II. de Affectibus Animi, Qvæst. III. Artic. 2. p. m. 746. ubi & paulo post ibid. Quæst. IV. Artic. I. p. m. 748. fatetur, qvod tanta non fit in Admiratione, qvanta in cœteris affectibus, animæ commotio, qvoniam in nuda & simplici Admiratione res in se ipsis spectentur, non ut ad nos referuntur: hinc nullam in corde, nullam in sangvine agitationem, nec ullam fere in ipso corporis habitu fieri mutationem. Agemus tamen infra nihilominus qvoqve de *Admiratione*: neqve multum hic immorabimur speculationibus istis, *Qvid* & *Qvot* sint Affectus, quomodo item *dividendi?* sed monstrabimus potius, qvemadmodum eos moderari, iisqve recte uti debeamus.]

Sunt-

Suntne Affectus in se & sua natura vitiosi?

Non sunt in se vitiosi, adeoqve nec exstirpandi, sed concinne temperandi, rectæqve rationi subjiciendi.

Qvomodo id probabis?

1. Novimus nos Christiani, qvod Servator noster, omnis perfectionis exemplar, non fuerit expers affectuum: contristavit enim eum mors Lazari, Joh. XI; lætatus est ob successum prædicati Evangelii, Luc. X; misertus turbæ inedia pressæ, Matth. XV.

2. Deo ipsi adscribuntur affectus nonnulli, ut Amor, Ira, Odium &c. Et ab eodem nobis affectus qvidam præcipiuntur, ut Amor erga parentes, conjuges, miseratio erga afflictos &c.

3. Sunt cotes & instrumenta multarum Virtutum; nostræqve sanitati foven-

fovendæ conducunt: idem enim in homine microcosmo præstare videntur, qvod venti majore in mundo; sicut enim hi aërem expurgant, ita illi sanguinem quasi ventilant, ne stagnans putrescat.

[De Utilitate Affectuum humanorum vid. H. Mori Enchirid. Eth. Lib. I. Cap. VI. & Philareti Eth. Cap. VI. §. 3. p. 79. & seqq.]

Cur ergo Stoici docent, illos, ut morbos animi, non temperandos, sed eradicandos esse?

Tota lis hæc inter Peripateticos & Stoicos latet in verbis, non in re ipsa. Nam si Peripatetici vocem πάθος sic acciperent, ut Stoici, (nimirum pro Perturbatione rectæ rationi contraria) omnino etiam τὰ πάθη per se mala & exstirpanda judicarent. Ac vicissim, qvando Stoici τῶν παθῶν nomine nihil aliud intelligerent qyam Peripatetici, (nimirum motus animi indif-

indifferentes) eos nec per se malos, nec eradicandos esse monerent.

[Stoicis (1) πάθος sive Perturbatio est commotio qvædam vehementior, a recta ratione aversa; qvalis certe in virum bonum ac sapientem cadere non debet. (2) Distingvunt inter τὰ πάθη & Εὐπάθειαι. Per illud intelligunt morbidam animi perturbationem, sive, ut dixi, commotionem animi rectæ rationi contrariam; per Εὐπάθειαι vero, commotionem animi placidam, constantem, rectæqve rationi congruentem. Itaqve dicunt, in Sapientem non cadere Libidinem, sed Voluntatem; non Lætitiam, sed Gaudium; non Metum, sed Cautionem &c. (3.) Distingvunt inter φαντασίαν (Propassionem) & Συγκατάθεσιν (ipsam Passionem.) Illam dicunt Involuntariam, ideo neqve bonam neqve malam esse, & in Sapientem qvoqve cadere: hanc Voluntariam, eamqve (si rectæ rationi adversetur) malam, ac sapiente viro indignam. Vid. Gell. Lib. XIX. Cap. I. Denique sicut mercatores iniqvum qvandoqve postulant, ut æqvum obtineant; ita Stoici excidium affectuum imperarunt, ut moderamen impetrarent. Vid. Senec. Lib. VII. de Benefic. c. 22. & 23. Add. Hornejі Philos. Mor. Lib. II. cap. 6. n. 8.

Qvæ-

Qvænam sunt Regulæ Generaliores, qvibus niti possumus in recto Affectuum sive Passionum usu?

Duæ: (1) Ut affectus nostri ferantur ad Finem debitum; (h.e. eum, ad qvem a natura destinantur) & ad Objecta recta & licita; (h.e. ea, qvæ appetere Lex jubet aut permittit,) qvę ὀρθοπάθεια vocari solet. (2) Ut affectus nostri Objecto & Fini sint proportionati (ut ita dicam) & commensurati, i. e. ut summo affectu summa & optima, mediocri mediocriá, minimo minima prosеqvamur; nec unquam in tantum commoveantur, ut affectus alicujus violentia lumen rationis intercipiat. Qvæ μετριοπάθεια appellatur.

Quæ-

Qvænam Remedia Generalia regendis affectibus conducunt?

1. Perpendamus, qvod rectum affectuum usum a nobis exigat non tantum Ratio, sed & revelatum Dei mandatum, ac propterea lege ad eum nos obligemur. Cicero: *Ratio præsit, appetitus obtemperet!* 1. Offic. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illi!* Genes. IV, 7.

2. Considerandá Voluptas liqvidissima, ex prudenti affectuum moderamine resurgens; & cogitandum, qvod illi e contrario perpetuis agitentur Furiis, qvi suis passionibus succumbunt. Conf. Senec. Lib. III. de Ira c. 6.

3. Preces ad Deum fundendæ. *Nemo* enim *continens esse potest, nisi Deus det.* Sap. IIX, 21. Pie Epictetus apud Arrianum, *Dei memento*, inqvit; *hunc adjutorem advocato & commilitonem; ut solent nautæ, qui*

in

in tempestatibus invocant Castorem & Pollucem. Quæ vero periculosior est tempestas, quam fluctuantium passionum? Lib. II. cap. 18.

4. Compertæ integritatis moderator vitæ ac moribus tuis præficiendus, qvi vel objecta noxia tibi surripiat, vel passiones tuas ipso in æstu refrænet. Vid. Jo. Bonæ Manuduct. ad Cœlum Cap. II.

5. Imo & ipsi præscindamus occasiones, nobisqve objecta subtrahamus, qvæ turbare nos possunt. Inde Philosophi qvidam pecunias abjecerunt, oculos sibi effoderunt, aures cera obturarunt &c. (Qvanqvam & hic observandum illud: *Ne qvid nimis!*)

6. Principiis obsta! Et qvamprimum vel minimos senseris motus rationis imperio insurgentes, fræna illis injice! Vid. Senec. I. de Ira c. 7. & l. III. c. 10.

7. De-

7. Deniqve accurate indagemus illos affectus, in qvos Temperamentum nostrum, præ aliis nos inclinat: hos proinde, veluti capita papaverum, cum Tarqvinio demetamus; sic reliqvi minorum gentium affectus facilius, imo ultro, sedabuntur.

Qvid est Amor?

Amor est affectus, qvo propendemus in Bonum nobiscum jungendum. Objectum ejus sunt Bona & Pulcra, qvæ Græci simul vocant τὰ καλὰ, vel τὰ φιλητὰ, *Amabilia.*

[Amor (1) vel est *Concupiscentiæ*, qvo Bonum appeto mihi; vel *Benevolentiæ*, qvo Bonum appeto alteri. Ille fertur in Bonum, ut eo ipse fruar; hic in Bonum cum altero communicandum. (2) Vel est *Honestus* ac *Laudabilis*, quo amamus, quæ oportet vel licet amare, & prout amare decet. Talis est Amor Dei, Parentum, Conjugis, Virtutis &c. vel *Turpis* & *Vituperabilis*, ut cœcus divitiarum aut honorum amor, ac præsertim Venereus ille inordinatus atque illicitus.

vænam Regulæ hic notandæ, & qvæ Remedia inordinato Amori præscribenda?

1. Qvamprimum tibi placere rid cœpit, non statim ac temere id erseqvendum aut amandum judi-s, licet Bonum tibi videatur ac Pul-um; sed probe dispicias, annon la-at angvis in herba? 2. Persvadeas bi, nihil amandum esse, nisi qvod imia cum dignitate & honestate njunctum sit; Turpe contra exi-mes, turpiter amare, aut personæ l rei indignæ amorem tuum con-crare; vel etiam rem corruptioni t amissioni obnoxiam tam arcte mplecti, ut ea amissa animus se col-ere neqveat. Speciatim adver-s Amorem Venereum, eumqve il-itum, seqventia observentur Re-edia: (1) Fuga omnis occasionis, Aversio oculorum, aurium, cogi-ionum ab Objectis talis amoris

æstum

æſtum irritantibus. (2) Fuga otii: *Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus* &c. (3) Frugalitas in Cibo ac Potu. Sine Cerere enim ac Libero friget Venus. (4) Conſideratio malorum, qvæ amorem ſtultum ac perverſum comitari ac ſeqvi ſolent. Vid. Plauti Mercator Act. I. Sc. I. verſ. 18. ſeqq. (5) Loci mutatio; qvæ ut corpori, ſic animo ægrotanti ſæpe eſt ſalubris. *Qvantum oculis, animo tam procul ibit amor.* (6) Conſilium Hieronymi: *Tria* eſſe *Amoris Remedia: Preces, Jejunium, Laborem.*

Exempla.

Ad exempla qvod attinet, Amoris inordinati affectum vicit (*a*) *Joſeph*, ab uxore Potipharis abſtinens, Geneſ. c. 39. (*b*) *Alexander*, cætera gentium magis qvam affectuum domitor. Etenim cum Darii filias eximiæ pulcritudinis captivas haberet, moni-

ıonitus etiam, invisere eas recusa-
it, dicens: Sibi non committendum,
t cum viros vicisset, a mulieribus
inceretur. (c) *Scipio Africanus*, qvi
ıptivas etiam puellas præcipuæ pul-
ıritudinis barbaris restituit, ac ne in
onspectum qvidem suum passus est
lduci, ne qvid de virginitatis inte-
ritate delibasse saltim oculis videre-
ır. Flor. Lib. II. c. 6. n. 40.

vid est Gaudium sive Lætitia?

Lætitia est affectus, qvo ex præsen-
; boni fruitione anima svavi volu-
ate perfunditur. Objectum est
onum præsens. Gaudemus qvi-
m Boni etiam præteriti memoria,
t futuri conceptione: qvod utrum-
e tamen animo occurrit tanqvam
æsens.

Lætitia (1) alia est *Mentis*, qvæ subjicitur menti; qvalis est illa ex Virtutum exercitio & conjunctione cum Deo resultans: alia *Sensuum*, ut qvæ ex Visu, Gustu, Tactu &c. percipitur. Illa hac multo est præstantior. (2.) Alia

est *Honesta* & *Moderata*, qvæ probatur Deo, & rectæ rationi est congrua. Alia *Turpis* & *Immoderata*, eaqve inimica Deo, rectæqve rationi contraria.]

Regulæ & Remedia.

Seneca Epist. 23: *Hoc ante omnia fac: Disce gaudere!* h. e. Gaudium verum a falso discernere; atq; cavere, ne gaudium tuum intempestive, aut ex caussis non idoneis, sese exserat, puta, ob aliena mala &c. & ne ad ineptias, vanitatem, & qvæ turpia aut indecora sunt, propellat. (2) Temperantiam in Cibo, Potu & Venere adhibe; ac prava eaqve ad nimiam & freqventem lætitiam prona consortia fuge! (3) Tecum perpende, qvantam voluptates terrenæ, atque hinc inordinata & immoderata lætitia, homini perniciem afferant, ratione animæ & corporis. *Impia sub dulci melle venena latent.* (4) Ob oculos tibi pone brevitatem & vani-

tatem

ιtem omnium gaudiorum terreno-
ım: & qvam perpetuæ ſint in orbe
ices Lætitiæ ac Triſtitiæ. *Nulla eſt*
ıcera voluptas, ſolicitumqve ali-
vid lætis intervenit. Ovid. VII.
letam. (5) Mortis meditatio.

Exempla.

Vltimum ecce hoc remedium ad-
ibuit *Ptolemaus Philadelphus*, Ægy-
:i Rex, qvi medias inter epulas
ortui cranium ſemper afferri, & a
ıiniſtris hanc ſibi vocem acclamari
ſſit: *Inſpice Rex, & cogita, te talem*
iqvando futurum! Cæterum affe-
um hunc adductioribus habenis
mperavit *Philippus Macedo.* Ei
ım nunciatum eſſet, uno die mul-
s res ſimul feliciſſime geſtas eſſe;
am eodem tempore curru qvadri-
go vicerat in Olympicis, & Parm :-
o Tarnenſes prælio fuderat, & O-
mpias ipſi filium enixa erat) porre-

ctis in cœlum manibus exclamavit: O fortuna, pro tot tantisqve beneficiis levi qvopiam malo me affice! Exempla eorum, qvi præ nimio gaudio exhalarunt animam, vid. ap. Gell. N.A. Lib. III. c. 15. ut *Policratæ*, *Philippidis*, *Diagoræ Rhodii*; it. apud Plin. Lib VII. c. 53. ſub init. Valer. Max. Lib. IX. c. 12. n. 2. 3.

Qvid eſt Spes?

Spes eſt affectus, qvo bonum futurum, idqve poſſibile, nobis pollicemur & expectamus. Objectum ejus proinde eſt (1) Bonum: Malum enim non ſperamus, ſed metuimus. (2) Futurum. Bonum enim jam præſens non amplius ſperatur. (3) Poſſibile; Impoſſibilia qvippe non ſperamus, ſed deſperamus.

[Spes (1) eſt vel *Bona*, qvæ veris bonis, vel *Vitioſa*, qvæ malis aut falſo creditis bonis innititur. (2) Spes eſt vel *Certa*, qvæ a certis bonis, vel *Incerta* & *Vana*, qvæ a dubiis vaniſqve rebus pendet.]

Regu-

Regulæ & Remedia.

(1) Caute agas, nec multum Spei credas; *Fallitur augurio spes bona sæpe suo.* (2) Futura sperantibus, sæpe præsentia dilabuntur; secundum illud Plauti: *Certa amittimus, dum incerta petimus.* Pertinet huc fabula de Cane Æsopico, ad flumen currente, & frustum carnis ferente. (3) Ita spem tempera, ne animus per eam ægrescat, ac ne, dum vana, incerta, aut supra vires posita complectatur, gratis se fatiget. Cic. in Cat. Maj. *Quid stultius, quam incerta habere pro certis, falsa pro veris?* (4) Expertis crede, & intuere multos, quorum spes decollavit; e. g. Alexandri, Hamanis, Sejani &c. (5.) Divum Hieronymum seqvere, Serm. IX. super Psalm. 91. scribentem: *Abjiciamus omnino spes miseras, vanas, inutiles, seductorias! & huic uni* (in eum collocandæ) *tam solida, tam*

perfectæ, tam beatæ inhæreamus! (6) Patientiæ ſtudeas; ſecundum illud: Ferendum & Sperandum. Cic. *Speremus, qvæ volumus, ſed qvod acciderit, feramus.*

Exempla.

Exempla eorum, qvi Spem bonam certamqve in Deo collocarunt, ſunt *Job*, cap. XIX. 25. ſeqq. *David* Pſalm. XXV. 2. LVI. 4. 5. 12. CXXX. 5. ſeqq. aliisqve locis quamplurimis. Cæterum ſpem nimiam & immoderatam frænavit *Epictetus*, ſæpius, teſte Stobæo, hoc uſus ſimili: Ut crura, ſic ſpem qvoqve, non amplius extendere convenit, quam fieri commode poſſit. Item *Plato* & *Ariſtoteles*, Spem vigilantis ſomnium appellantes.

Qvid eſt Deſiderium vel Cupiditas?

Eſt affectus, qvo Bonum, qvod nobis

nobis deest, appetimus; & malum, qvo premimur, remotum cupimus. Objectum ejus est Bonum, idqve absens, sive præteritum sive futurum; nec non Malum a nobis removendum. Inde Scaliger describit Desiderium per Inclinationem voluntatis ad habenda bona, qvibus caremus; aut ad excutienda mala, qvibus premimur.

[1. Desiderium a Spe sic differt: (*a*) Desiderium proprie est Boni alicujus appetitio sive cupiditas; Spes autem læta expectatio. (*b*) Desiderium versatur circa Bonum absens, præteritum vel futurum; Spes tantum circa futurum. (*c*) Spes conjuncta est cum lætitiâ; Desiderium plerumqve junctum est cum tristitiâ, anxietate animi & impatientia. (*d*) Desiderium intentius fertur, & sagittæ instar vibratur in bonum possidendum; Spes patienter illud expectat.]

[2. Desiderium aliud est *Naturale*, qvod in Bonum naturæ utile tendit; e.g. desiderium alimenti, somni, qvietis &c. Aliud *Non-naturale*, qvod tendit ad bonum a ratione dependens; ut desiderium scientiæ, honorum &c. Tam Naturale, qvam Non-naturale, vel est *Bonum* & recta ratione definitum, ut deside-

rium Dei S. Boni nostri, item Virtutum bonarumqve artium &c. nec non desiderium cibi modici, aut necessariæ medicinæ: vel *Malum* & inane, a neglecto rationis judicio falsaqve opinione prognatum; ut desiderium immeritorum honorum, divitiarum, Veneris immoderatum. Talia Petrus vocat *Carnalia desideria, qvæ militant adversus animam*. 1. Epist. II. 11.]

Regulæ & *Remedia*.

(1) Desideria tua ad rationem revoca; & ad naturam vive, qvæ paucis est contenta, multisqve desideriis ad vivendum non habet opus. Hinc Seneca Epist. 119: *Nihil monuisse te malim, qvam hoc, qvod nemo monetur satis: ut omnia naturalibus desideriis metiaris, qvibus autem gratis satisfiat aut parvo. Tantum miscere vitia desideriis noli!* (2.) Vitiis vero, quæ misceri desideriis solent, medeatur Lex divina: *Non concupisces domum proximi tui* &c. Exod. XX. 17. (3.) Bonum, qvod desideras, attente circumspice, an verum sit Bonum,

ionum, an apparens tantùm; utrum
iocere magis, qvam prodesse possit?
*Multa impetum animi movent, quæ
etuntur petentium malo.* Senec. E-
ist. 118: (4.) Considera Effectus
ffectus hujus inordinati molestos ac
erniciosos; qvodqve is, secundum
latonem, malum sit inexplebile.
5.) Τῇ αὐταρκείᾳ seu Sufficientiæ stu-
e. Cic. Paradox. VI: *Contentum
is rebus esse, maxima sunt certissi-
æqve divitiæ.* Add. 1. Timoth. VI.
. (6) Res extra te positas, tan-
vam nihil ad te spectantes, sperne,
iortemqve meditare! *Sic enim ni-
il unquam humile cogitabis, nec im-
nse cupies qvicqvam.* Epictet. Enchi-
d. c. 20. *Finem omnium rerum spe-
a, & supervacua dimittes!* Senec.
pist. 119.

Exempla.

Cupiditati ac Desideriis fibulas im-
osuerunt (*a*) *Agur*, nec divitias

nec paupertatem a Deo precatus; sed ut victui tantum tribuerentur necessaria. Proverb. XXX. v. 7. 8. 9. (*b*) *Paulus*, ad Philipp. IV. 11. 12. & 1. Timoth. VI. 6. 7. 8. (*c*) *Socrates*, qui cum in pompa triumphali magna vis auri & argenti ferretur, Qvam multa non desidero! exclamavit; teste Cic. V. Tusc. Qvæst. (*d*) *Epicurus*, cujus frequens dictum erat: *Si ad naturam vives, nunqvam eris pauper; si ad opinionem, nunqvam eris dives. Exiguum natura desiderat; opinio imensum.* Item: *Panem & aqvam natura desiderat. Nemo ad hac pauper est, intra qua desiderium suum clausit: cum ipso Jove de felicitate contendat!* apud Senecam Epist. 16. & 25. (*e*) Ipse etiam *Seneca*, cujus Epistola 119. digna imprimis est, qvæ legatur.

Quid

Qvid est Audacia sive Confidentia?

Est affectus, qvo malum arduum aggredimur, ut Bonum speratum conseqvamur. Objectum itaqve est malum, idemqve arduum & superandum, eoqve superato Bonum obtinendum.

[Audacia (ut est affectus) alia est *Laude*, alia *Vituperiò* digna. *Illa* rationi rectæ est congrua, quando ad malum ingens, qvod Bono obtinendo obstare videtur, depellendum, animi corporisqve vires, ac Dei cumprimis hominumqve auxilia, spem firmam afferunt. Huc pertinet illud: Audentes Deus ipse juvat. *Hæc* vero ratione caret ac consilio; si qvis nempe majora viribus suis aggredi, ac necessariis destitutus præsidiis rem conficere tentat.

Regulæ & Remedia.

(1) Moram & consilium adhibe, anteqvam rem arduam aggrediaris; secundum illud Statii: *Metire, qvod audes*! (2) Nosce te ipsum, viresqve tuas accurate pensita, & moderatam

ratam de te concipe opinionem. Conf. Senec. de Tranqvill. animi Cap. 4. & 5. (3) Ne leviter nimis de obstante malo, aut adversariorum viribus existimes! *Leo aliqvando minimarum avium pabulum fuit* &c. Curt. Lib. VII. c. 8. n. 15. (4) Sobrietati stude: qvæ nos reddit moderatiores & circumspectiores: Ebrietas contra in prælia trudit inermes. (5) Juvabunt hic Doctrina, Usus & Experientia; nam sicut indocti & inexercitati plerumqve sunt audaculi; ita docti & experti cautiores ac prudentiores. (6) Cogita, qvam stolidus ac nocivus sit affectus, Audacia immoderata. Id quod testantur Phaëthon & Jcarus; item Psylli & Celtæ adversus Austrum ac fluctus marinos præliati, sed arenis undisqve obruti.

Exem-

Exempla.

Moderatus est affectui huic (*a*) *Fabius* ille *Maximus*, qvi *primus fulmineum lento cunctamine Pœnum compressit*; ut canit Claudianus; plus consilio qvam fortunæ confisus, atqve ostendens, *bono Imperatori haud magni momenti fortunam esse; mentem rationemqve dominari.* Liv. XXII. c. 18. & 25. (*b*) *Svetonius Paulinus*, Tacito dictus Cunctator natura, cui cauta potius consilia cum ratione, qvam prospera ex casu placerent. II. Histor. c. 25. (*c*) *Archidamus*, qvi filio suo cum Atheniensibus temere congressuro dixit: *Aut viribus adde, aut animis adime!* Plutarch. in Apophth. Lacon. Laudabilis præterea Confidentiæ Exempla in Sacris sunt *Gedeon*, *David*, *Judas Maccabæus* hujusqve fratres, qvi non tam suis viribus, qvam Dei auxilio confisi, summa patrarunt facinora.

Qvid est Ira?

Est affectus, quo contemtum aut injuriam nobis nostrisve illatam vindicare nitimur. Objectum ejus est Malum, seu Verum seu Apparens, puniendum, & contemtus nostri nostrorumqve vindicandus.

[Bene monet Bœclerus in Libell. Memor. Eth. Optabilius esse plane eliminare Iram, eamqve Virtuti non bene congruentem, saltem non necessariam esse. Neqve enim ad propulsandam injuriam, neqve ad punienda delicta, ira opus est; imò qvo longius abest ira, eo melius ista omnia conficiuntur. Conf. Senec. l. de Ira c. 14. 15. & 16. Qvanqvam communiter doceatur, esse Iram qvandoqve *Justam*, & Irasci licere, qvando Religio, bonæ Leges, Patria, Parentes & Propinqvi immerito offenduntur ac violantur. Sæpius tamen Ira hominis est *Vitiosa* ac *stolida*, ut cum irascimur Deo, Magistratui, Parentibus, Præceptoribus, aliisqve immerentibus, imo & brutis rebusqve inanimatis &c. aut qvando ex caussis rebusqve levissimis exacerbamur.

Regulæ & Remedia.

(1) Iræ, ut violentissimo affectui, omni studio reluctandum; qvæ & ipsam

ipsam fortitudinem ac justitiam, quibus inservire vulgò putatur, sæpe occæcat & præcipitat.

Ira furor brevis est; animum rege, qui nisi paret,
imperat; hunc frenis, hunc tu compesce catena.

Hor. Lib. I. Ep. 2. (2) Remove proinde Caussas *Internas*, (qvæ in nobis sunt) unde Ira oriri solet; quarum aliæ sunt *Morales*, ut Philavtia, Zelotypia, Superbia, Curiositas &c. aliæ *Naturales*, ut ebrietas, nimia lassitudo aut defatigatio, fames, sitis &c. Vid. Senec. III. de Ira c. 6. 9. 10. (3) Remove ac fuge Caussas Iræ *Externas*, qvæ sunt omnia, qvæ contemtum aliqvem nostri ac nostrorum præ se ferunt, nosqve extrinsecus irritare possunt. Hic attendamus, qvam incitamenta illa plerumqve frivola sint ac levia, & nobis sæpe, si ad mentem saniorem redierimus, videantur ridicula. Conf.

Senec.

Senec. Lib.III. de Ira c. 30. inic. c. 10. versus fin. item c. 11. & 12. (4) Animo tuo firmiter constitue, Iræ nihil unqvam loci te velle dare, qvæcunqve tandem molesta accidant. Senec. III. de Ira c. 37: *Præsume animo, multa tibi esse patienda* &c. (5) Conversare cum hominibus placidis & mansvetis; ac fuge homines contentiosos & agrestes. Vid. Senec. Lib. III. de Ira c. 8. & Lib. II. c. 22. (6) Assidue meditare funestissima mala Animi, Corporis & Fortunæ, qvæ ab Ira solent provenire. Conf. Seneca Lib. I. de Ira c. 2. (7) Cogita, Iracundiam muliebre, puerile ac stolidum esse vitiũ. Id. Lib. I. de Ira c. ult. & Lib. II. c. 19. At contra qvam sapiens & gloriosũ sit, Non facile irasci, & injurias magno animo contemnere. Senec. Lib. II. de Ira c. 32. (8) In ipso Iræ æstu moram & dilationem adhibe, anteqvam ad judican-

andum, loqvendum, caſtigandum ccedas. Idem Lib III. de Ira c. 12. 9) Speculum conſule. Ita Socrates & Plato diſcipulos ſuos monuerûnt, ut iratos ſe in ſpeculo contuerentur, & cogitarent, qvalis eſſet animus, cujus externa imago tam fœda eſt? (10) Amico alicui danda eſt poteſtas, ut libere nos corripiat, cum iraſcimur, nec iræ noſtræ aſſentiatur: ad inſtar Socratis apud Senec. III. de Ira c. 13. Add. Plutarch. libell. de Cohibenda Ira.

Exempla.

Iræ affectum fortiter debellavit (*a*) *David*, maledicta & lapides Simei miti excipiens animo, 2.Sam. XVI. 10. (*b*) *Plato*; qvi, cum a ſervo ſuo graviter eſſet offenſus, veritus, ne modum vindictæ excederet, Speuſippo amico caſtigationis arbitrium commiſit; deforme ſibi futurum exiſtimans, qvi ſervum emendaturus eſſet, iracundiæ ſervitium ſubi-

ret. Valer. Max. Lib. IV. c. 1. Conf. Senec. III. de Ira c. 12. (c) *Tarentinus Archytas*; de qvo vid. Valer. Max. ibid. (d) *Socrates*, cum calce petitus a juvene qvodam feroce, ad ultionem ab amicis instigaretur, Qvid, ait, an si me asinus calce petiisset, jussuri eratis, ut calcem ei contra impingam? Eundem perhibent colapho percussum, nihil amplius dixisse, qvam Molestum esse, qvod nescirent homines, qvando cum galea prodire deberent. Senec. III. de Ira c. 11. »

Qvid est Odium?

Est affectus, qvo qvis aversatur malum, quod inimicum sibi aut noxium esse judicat. Inde a nonnullis vocatur *Aversatio*. Objectum ejus est Malum, idqve præsens vel absens, Verum vel Apparens, nobis minus conveniens.

[Odium pertinacius est qvam Ira, unde multis *Ira inveterata* dicitur; etiam occultius, adeoqve vitatu difficilius. Estqve aliud *Bonum*

mum sive *Laudabile*, nempe malorum, maxime moralium, & si sit moderatum: ita Deus ipse odit omnes operantes iniqvitatem. Aliud *Malum* sive *Vituperabile*, si oderimus ea, quæ Bona sunt, minimeqve aversanda.

Regulæ & *Remedia*.

(1) Odio, affectui, tam habenti, qvam illis, in qvos fertur, admodum pernicioso, qvantum potes, obnitere! Et si qvis omnino dignus videatur, qvem averseris, cogita, Vitia nos odisse debere, non homines. (2) Præscriptum seqvere Legis Naturæ, quæ vult, *ut homo homini, qvicunqve sit, ob eam ipsam caussam, qvod is homo sit, consultum velit.* Cic. III. Offic. (3) Audi etiam mandatum Christi Matth. V. 44. 45: *Diligite inimicos vestros* &c. & Pauli, Rom. XII. 14: *Benedicite iis, qvi vos insectantur.* (4) Caussas Odii tui diligenter considera, utpote circa qvas sæpe fallitur opinio nostra. Nunc enim odio proseqvimur res manifestò sacras & hono-

honorabiles, ut sunt Pietas, Veritas &c. hinc illud: *Veritas odium parit:* nunc Caussa plane est incognita, secundum istud Martialis: *Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare?* Interdum Caussæ sunt Avaritia, Invidia, φιλαυτία, Superbia &c. qvæ omnes pro virili removendæ. (5) Tecum perpende, qvam odium sæpius sit turpe ac diabolicum; (diabolus enim odit Deum ac homines) qvamqve gravia tum possessoribus suis, tum aliis, pariat damna. Inde enim oriuntur contumeliæ, injuriæ, cædes &c. & qvicqvid boni gignit Amor, id Odium destruit. (6) Memento mortalitatis tuæ; adeoqve mortales cum simus, odia immortalia ne geramus. Conf. Plutarch. libell. de Invidia & Odio.

Exempla.

Laudari hic debent (1) *Joseph* erga fratres suos inimicos benignus.

Genes.

es. XLV. 5. (2) *Christus* & *Ste-*
nus, pro persecutoribus & carni-
us suis orantes. (3) *Pythagorei*,
si qvando inimicitia vel odio ad-
is se invicem exarserant, ante so-
casum, dextris mutuo datis, gra-
redintegrarunt; teste Plutar-
(4) *Agatho* gloriari solitus, se
qvam cepisse somnum, nisi pri-
a adversus alios, & aliorum ad-
is se, odia & simultates sopiisset.
M. Æmilius Lepidus Consul &
ifex Maximus, qvi graves & diu-
as inimicitias cum *Fulvio Flacco*
lem auctoritatis viro, exercue-
Quamprimum vero uterq; si-
Censores sunt renunciati, odia
mpo deposuerunt, existiman-
Non oportere eos privatis odiis
lere, qvi publice summa juncti
t potestate. Vid. Valer. Max. Lib.
II. Exempl. I.

Qvid

Qvid est Tristitia?

Tristitia est affectus, qvo animus super malo, vel revera vel per imaginationem præsente, dolore afficitur. Objectum itaqve est Malum præsens, sive id revera sit præsens, sive per imaginationem. Possunt enim Mala etiam præterita (ut si peracti sceleris nobis simus conscii) tristitia nos afficere. Unde nonnulli Tristitiam definiunt per motum animi, spiritum cordis opprimentem, ob malum præsens & præteritum.

[Affectus hic est vel *Laudabilis*, qvando secundum rationem & moderate tristamur, e. g. ob peccata in Deum hominesqve commissa; aut cum moderate lugemus infortunia mortesve nostrorum; eatenus enim inter Humanitatis officia numeratur. Vel est *Vituperabilis*, qvando tristamur sine ratione & immoderate, multo cum fletu, ejulatu ac dolore animi nimis diuturno.]

Regulæ & Remedia.

1. Contemplare damna gravissima,

, quæ affectus hic immoderatus
rre solet tum Animo tum Corpo-
utrumqve enim velut carie qva-
a exedit, morbos inducit, mor-
ıqve accelerat. Vid. Sirac. XXXIIX.
& seqq. nec non c. XXX. 22. seqq.
Studeas magnitudini animi, &
ıc in adversos casus (qvibus vita
: est obnoxia) præpares atqve ob-
ıes. Tela enim prævisa minus
ent. Aut si tibi tuisve malum
dit, cogitandum, id propterea
enisse, ut materiam haberes exer-
læ patientiæ, constantiæ &c.
Mente volvas tecum, Malum
ens non esse tantum, aut tanti, ut
affligaris; nec minus aut le-
, sed majus & acerbius futurum
nœstitiam ac impatientiam tu-
(4) Revocandus est animus a
ideratione præsentis mali, & ad-
ndus ad rerum altissimarum
itationem, ad studia, aut alia mu-
neris

neris negotia. Vid. Plin. Epist, 19. Lib. IIX. n. 1. (5) Alloqvia & consolationes amicorum facilis admitte! (6) Lege scripta moralia Tristitiæ medentia, qvalia sunt Senecæ Libri de Consolatione ad Helviam; ad Polybium, ad Marciam, de Tranqvillitate animi, Epistola 99; item Franc. Petrarchæ Liber II. de Remediis utriusq; fortunæ; idq; genus alia. (7) Ex Remediis Physicis adhibeantur Somnus & Balnea, Potus vini generosi; vid. Prov. XXXI. 6. Fuga item solitudinis, Musica, Tempus; *Ajunt* enim, ***diem adimere ægritudinem hominibus.*** Terent.

Exempla.

Mœrorem in potestate sua habuerunt (1) *David*, defunctum pusionem suum parum lugens, 2. Sam. XII. 20. seqq. inqve aliis calamitatibus & persecutionibus se precibus ac cithara sua consolans. (2) *Anaxa-*

goras,

ras, qvi audita filii morte, Nihil, invit, mihi inexpectatum aut novum uncias; ego enim illum ex me naım sciebam esse mortalem! Add. *Xenophon* apud Valerium Max. Lib. V. c. X. Extern. n. 2. (3) *Demosthenes*, qvi domesticas fortunas, lacrymas ac lamentationes, feminis reliqvit, & qvæ censuit in publicum utilia, hæc egit; teste Plutarcho. (4) *Julius Agricola*, de qvo Tacitus gener scribit: *Domestico vulnere ictus filium amisit. Qvem casum neqve ut pleriqve fortium virorum ambitiose, neqve per lamenta rursus ac mœrorem muliebriter tulit: & in luctu bellum inter remedia erat.* Vit. c. 28. (5) *Germani veteres*, apud qvos feminis lugere honestum erat, viris meminisse; teste eod. Tacito in Germ. c. 27. X

D *Qvid*

Qvid est Metus?

Est affectus, qvo homo de Malo futuro anxie est solicitus, & ab expectatione ejus affligitur. Objectum est Malum futurum, qvod vel certo vel probabiliter nobis imminet.

[Metus est vel *Naturalis*, qvi est ejus mali expectatio, qvod naturæ videtur noxium: ut metus contagionis, cruciatuum, mortis &c. vel *Non-naturalis*, qvi nos affligit ob malum, qvod tale esse ratio aut Leges judicant. Hic Non naturalis est vel *Honestus* ac necessarius, qvando metuimus, qvæ Lex divina & recta ratio metuenda dictant; qvalia sunt flagitia, infamia, ira Dei, infernus &c. vel *Turpis*, qvo metuimus illa, qvæ secundum Legem Dei & rectam rationem non sunt metuenda; ut si qvis metu exilii vel mortis fidem veram abneget; aut feminéo stolidoqve timore umbram suam aut muscas prætervolitantes metuat. Hic sane *degeneres animos timor arguit*.]

Regulæ & Remedia.

(1.) Metuenda declina! Si vero non potes, fac animo forti magnoqve sis! Vid. Senec. Epist. 98. (2) Remove

ove Causſas affectum hunc in te fa-
concitantes: qvales ſunt (*a*) Prava
poris conſtitutio, maxime ex Me-
cholia, multo phlegmate & atra
; atq; hic conſulantur Medici. (*b*)
itudo & Tenebræ; (*c*) Præjudicia &
iniones de rebus, qvaſi hæ vel illæ
malæ; qvales tamen in ſe non
t. Vid. Epictet. Enchirid. c. 10.
Studeas bonæ conſcientiæ. Cic.
Milone: *Magna vis eſt conſci-
ia, & magna in utramqve par-
; ut neqve timeant; qvi nihil
miſerint* &c. (4) Ne angaris &
cieris ante tempus; etſi futurum
nino ſit, qvod times malum. Se-
a: *Nihil eſt nec miſerius nec ſtul-
, qvam prætimere: qvæ iſta de-
tia eſt, malum ſuum antecedere?*
t 98. Add. Epiſt. 24. (5) Co-
levi momento maxima qvæque
mutari: atqve inde ſalutem ſæpi-
mminere, unde ruina timebatur.

Cogita: forsan malum hoc non veniet; aut non tam grave erit; aut si certo venturum noveris, bene spera de eventu, aliorumqve virorum fortium exempla & fata intuere! (6) Mala impendentia assidue contemplare: ita crebra meditatione sensim assvefies rebus terribilibus. *Mortem ut nunqvam timeas, semper cogita!* Senec. Ep. 30. (7) Tecum perpende, qvam menti corporiqve inimicus hic sit affectus, ac pæne inutilis. Nam cautelam, qvæ ex illo proveniré putatur, etiam citra eum prudentia & circumspectio minus trepida, minus anxia, producere potest. (8) Speciatim adversus Metum Malorum Publicorum, qvalia sunt Bellum, Pestis, Tyrannis &c. remedia suppeditabit aureolus Lipsii libellus de Constantia, imprimis Lib. I. c. 13. & seqq. ac Lib. II. c. 6. & seqq.

Exem-

Exempla.

Exemplo hic esse possunt (1) *David*, Psalm. III. 7. Psalm. XXIII. 4. & alibi. (2) *Antigonus Secundus*, Demetrii filius, Syriæ Rex; is navali prælio cum Ptolemæi Legatis congressurus, dicente gubernatore, Multo plures numero esse hostium naves; Me vero, inquit, ipsum præsentem qvam multis comparas? Plut. in Apophth. (3) *Julius Cæsar*, qvi trepido gubernatori, cum nocte concubia, ardente ventis mari, speculatorio navigio veheretur, *Quid times*? inqvit, *Cæsarem vehis*! fortunæ scil. obseqventis beneficio e tot jam periculis eluctatum. Flor. Lib. IV. c. 2. n. 37. (4) *Joh. Fridericus* Saxoniæ Elector; qvi postqvam à Carolo V. Imp. victus & captivus, cum Ernesto Brunsvicensi, Torgam velut in triumphum duceretur, ac brevi post denunciatam sibi more solenni mortis sententiam au-

diret, vultu nihil motus, nec animo turbatus, Ernestum ad ludendum secum latrunculis invitavit; hac ipsa securitate generosum mortis contemtum præ se ferens. Vid. Thuan. Lib. IV. Histor. ad Ann. 1547. Qva animi magnitudine imitatus est forte *Julium* illum *Canum*, cujus admirabilem in ipsa morte fortitudinem graviter enarrat Seneca Lib. de Tranqvill. c. 14.

Qvid est Fuga?

Est affectus, qvo malum imminere visum intente declinamus ac evitamus. Objectum est Malum nobis imminens, vel imminere visum, idqve a nobis qvovis modo avertendum & declinandum.

[Fuga alia est *Naturalis*, qva declinamus malum naturæ nostræ noxium: ita fugimus serpentes, pestem &c. alia *Non-naturalis*, eaqve vel *Honesta*, cum fugimus malum, qvod ratio recta fugiendum judicat, ut peccata, diabolum, prava sodalitia; vel *Turpis*, qva fugimus id, qvod secundum rectam rationem

nem non est fugiendum, sed opinioni tantum nostræ malum & noxium videtur; sic impii fugiunt piorum consortia, templa, crucem & calamitates, quæ a Deo tamen nobis in bonum nostrum & salutem sæpe immittuntur.]

Regulæ & *Remedia.*

(1) Ne nimium fidas opinioni tuæ, nec facile assentiare visis. Epict. Enchirid. c. 10. (2) Malum, qvod tibi imminere putas, probe considera, utrum revera sit malum, an apparens tantum; & annon bonum tibi potius sit allaturum, adeoqve patienter ferendum? v. g. morbi, crux, paupertas qvæ sæpe probationes sunt fidei & constantiæ nostræ. (3) Stude Fortitudini & Magnanimitati. *Mollities est, fugere laboriosa;* ait Aristoteles 3. Nic. 7. Et Seneca: *Nemo fuga & ignavia immortalis est factus.* (4) Recordare moniti illius Terentiani Phorm. Act. V. Sc. 2: *Ita fugias, ne præter casam!*

i.e. ſic malum qvodpiam fugias, ne in aliud majus incautus devolvaris. Donatus ſic explicat: Fugiendo ne prætereas caſam tuam, qvæ tibi ſit tutiſſimum receptaculum.

Exempla.

Fugæ impetum effugit (1) *Socrates*; de quo Jo. Bona in Manud. ad Cœlum ita ſcribit: *Quæ nocent, docent. Mors, exilium, paupertas, ignominia, ægritudo & cætera ejusdem generis, quæ in tua poteſtate non ſunt, nec mala ſunt, nec pertinent ad te. His itaque non fugam, non abominationem opponere debes, ſed concepta de illis opinionis neglectum. Hæc omnia Socrates larvas appoſite nuncupabat* &c. C.14. (2) *M. Attilius Regulus*, qui cum Bello Punico I a Carthaginenſibus captus, & Romam de captivis commutandis miſſus eſſet, tantum abſuit, ut parata ſibi tormenta fuge-

fugerit, ut ad supplicium potius redire maluerit, qvam fidem hosti datam fallere. Cic. I. & III. Offic. (3) Turpem e bello fugam notavit *Lacana* qvædam *mulier*, qvæ filios e prælio fugientes domumqve venientes graviter objurgavit, dicens: Quo ibitis, ignava & fugitiva mancipia? Et ostenso ventre, *Num huc*, inqvit, *denuo redire vultis, unde emersistis?* Plutarch. in Apophth. Lacon. *Fuga* vero *Laudabilis* exempla præbent *Joseph*, adulteram fugiens; & *Ulysses* hujusqve socii, Sirenas & Circen fugientes ac declinantes.

Qvid est Desperatio?

Est affectus, qvo æger animus a spe & expectatione boni alicujus recedit, qvod obtentu nobis videtur impossibile. Objectum est bonum obtentu impossibile visum. Bonum vero speratum, cum obtineri non potest, Malum putatur.

[Desperatio alia respicit Bona *Spiritualia*, e.g. Dei gratiam, remissionem peccatorum, salutem æternam. Ejusmodi desperatio semper est impia, & perfectum diaboli gaudium. Alia spectans Bona *Temporalia*; & hæc, si respicit Bona, quæ obtineri nullo modo possunt, non est culpanda; si vero Bona desperat, quæ esse & non esse, qvæqve obtineri qveunt, tunc sæpe est improbanda. *Turpiter desperatur, qvod fieri potest*; ait Qvintilianus.]

Regulæ & *Remedia.*

(1) Adversus Desperationem impiam & vituperabilem, curationem pete non a βρόχῳ sed λόγῳ, non a *laqveo*, sed recta *ratione*. Hæc vero svadet, ut conceptam opinionem de Boni alicujus impossibilitate ab intellectu nostro removeamus, ejusqve conseqvendi possibilitatem ipsi ostendamus; & varia consideremus Exempla, ubi in rebus æqve difficilibus, ex voto tamen eventus responderit. (2) Considera perniciosissimos Desperationis effectus; est enim

hæc

hæc animi corporisqve homicida
(3) Dei omnipotentiæ confide. *Bon*
sis animo! ait Euripides, *Multa De*
facilia sunt, etiam qvæ desperant ho-
mines: apud Stobæum Serm. 109
(4) Contemplare fortunæ volubil
tatem, qvamqve facile adversa in se
cundam commutari soleat. *Nem*
desperet meliora lapsus! (5) Despe
rationi de Bonis Spiritualibus salu
berrimum præbebit remedium Mi
sericordiæ & Clementiæ divinæ ma
gnitudo, & divinarum in SS. Literis
promissionum veritas, qvæ peccato-
ribus, etiam maximis, modo serio
pœnitentibus, spem certæ ostendunt
veniæ.

Exempla.

In Sacris multa occurrunt Exem-
pla eorum, qvi firmissime credide-
runt, qvæ apud homines sunt impos-
sibilia, esse Deo possibilia. Sic *Abra-*

 ham

ham filium unicum mactaturus, non desperavit de hocipso e morte, vel alio e lapidibus suscitando; *David* non desperavit de prosternendo Goliatho; *Judith* de Holoferne obtruncando. Add. Epist. ad Ebr. XI. v. 32. 33. 34. In profanis historiis clarent *Epaminondas* Thebanorum dux, qvi qvatuor hominum millibus stipatus, Lacedæmoniorum exercitum viginti millibus constantem profligavit; & *Miltiades* Atheniensis, qvi cum 10 millibus, sexcenta Persarum millia fudit fugavitqve. Seneca: *Singula vicere jam multi; ignem Mucius, crucem Regulus, venenum Socrates, exilium Rutilius. Nos qvoqve aliqvid ipsi faciamus animose: simus inter exempla. Qvare deficimus? Qvare despondemus? Qvicqvid fieri potuit, potest.* Ep. 98. Stultæ ac impiæ desperationis exempla sunt *Cain, Achitophel, Judas, Cato* aliiqve.

Hacte-

Hactenus de Passionibus, qvæ in *corde* proprie sedem habent, non qvæ in solo *cerebro*; qvalem unicam agnoscit Cartesius, nempe *Admirationem.*

Qvid est Admiratio?

Est subitanea commotio animæ, qva fertur in attentam considerationem objectorum, qvæ nova & insolita videntur. Objectum itaqve est Res nova & rara, cujus idea cerebro altius impressa animum commovet, & acriorem efficit attentionem.

[Admiratio est vel *Laudabilis*, qvando ad veritatis indagandæ amorem nos accendit, aut in rem fertur admiratione dignam; uti e. g. Regina Sabæ mirabatur Salomonis sapientiam. Vel *Vituperabilis*, eaqve nimis freqvens, qvæ ad res qvasvis, nec adeo novas & inusitatas, hæret, inqve stuporem nonnunqvam degenerat.]

Regulæ & *Remedia.*

(1) Nota, affectum hunc nimis freqventem, ab omnibus pæne Philoso-

losophis veteribus vilem fuisse habitum, ut imperiti abjectiqve animi indicium; imo ut beatitudinis nostræ hostem, unde dolor, cupiditas, metus & alii, qvibus cruciantur homines, impetus proveniant. Qvare Horatius Lib. I. Epist. 6. ait:

Nil admirari, prope res est una, Numici,
solaqve, qvæ possit facere & servare beatum.

Et Aristoteles Virum suum Magnanimum non vult esse θαυμαςὸν h. e. talem, qvi facile admiretur. IV. Nic. 3. (2) Fuge Curiositatem, illum animi morbum, qvo assidue solicitamur ad cognitionem rerum novarum, sæpe inutilium ac min⁹ necessariarum. (3) Tollitur Admiratio circumspectiore rerum attentione, similium rerum freqvente consideratione, & deniqve caussarum ipsarum perceptione. Ideo (4) excolatur studium

um bonarum artium &Philosophi illi enim, qvi maxime philosopha tur, minime mirantur, qvonia caussas rerum feliciter rimantu Hinc Democritus & Epicurus Phil sophiæ fructum dixerunt Αθαυμα αν. (5) Juvabit qvoqve Usus ac Exp rientia, & sagax rerum futuraru provisio. Ita Æneas apud Virg VI. Æneid.

— — — Non ulla laborum,
O Virgo, nova mi facies inopina surgit:
Omnia præcepi, atqve animo m cum ante peregi.

Exempla.

Affectu hoc superiores evaserun (a) *Pythagoras*, qvi Hoc se lucri Philosophia retulisse dixit, nihil admiretur; apud Plutarch. de Au scult. (b) *Agesilaus*, Rex Sparta norum, qvi, qvorum stupore alio tener

teneri videbat, ea ſimulabat necnoſſe; teſte eod. Plutarch. in Apophth. (c) *M. Antoninus*, ſe a Maximo Philoſopho, præceptore ſuo, didiciſſe gloriatur, qvod nihil admiretur, nihil obſtupeſcat. (d) Stoici, qvi *Sapientem* ſuum dixerunt nihil admiraturum ex iis, qvæ vulgo inopinata & admirabilia videntur; apud Laërt. in Vit. Zenonis.

SECTIO II.

ARETOLOGIA SPECIALIOR.

Qvot numerantur in Ethicis Virtutes?

SEcundum datam ſupra Virtutis definitionem, dicere poſſem, unicam tantum eſſe Virtutem. Unicum enim eſt ſtudium ſe ſuasqve actio-

actiones ad divinam voluntatem componendi. At vero studium hoc, qvatenus per varias actiones (sive Officia) variis Naturæ Legibus & Objectis applicatas sese exerit, variis qvoqve nominibus insigniri solet.

[Sic jam olim Zeno, Aristo Chius, & Menedemus Eretriensis, uti refert Plutarchus in Comment. de Virtute Morali, unam tantum constituerunt Virtutem, *Prudentiam* : qvæ vero varias sortiatur appellationes, prout diversis applicatur objectis, variasqve producit actiones. Nempe, dum moderatur voluptatibus corporis, vocatur *Temperantia*; dum dominatur iræ, *Mansvetudo*; dum suum cuiqve tribuit, *Justitia* &c. Qvibus hodieqve adstipulantur nonnulli utentes similitudine ducta ab *Oceano*; [illegible] diversa sortitur nomina, pro litorum, quæ alluit, diversitate ; v. g. Oceanus Occidentalis hic appellatur Gallicus, ibi Britannicus, Hibernicus, Germanicus &c. Nec absurdam opinionem illam judicat ipse Golius in Epit. doctr. Mor. Aristot. pag. 82.]

Qvot Virtutes enumerant Stoici?

Stoici, qvos Cicero in Officiis seqvitur,

qvitur, ut & Augustinus, Ambrosius ac Scholastici, qvatuor numerant primarias: Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem, Temperantiam.

[Qvæ Virtutes jam ab Ambrosii ævo dicuntur *Cardinales*, qvod, uti fores cardinibus, ita illis omnis Virtutum summa vertatur, vitæqve honestas fulciatur. Platonici divisionis hujus hanc afferunt rationem, qvod Prudentia perficiat Intellectum, Justitia Voluntatem, Temperantia moderetur Appetitui Concupiscibili, Fortitudo Irascibili.]

Qvot Virtutes Morales enumerat Aristoteles?

Vndecim: qvæ unà cum Objectis & oppositis Vitiis ex seqvente designatione patebunt:

Nomina Virtutum.	*Objecta.*	*Opposita Vitia.*
1. Fortitudo.	Ea, qvæ Metum & Fiduciam afferunt.	Audacia & Timiditas.

2. Tem-

2. Temperantia.	Voluptates & Dolores Gustus & Tactus.	Intemperantia & Stupiditas.
3. Liberalitas.	Pecuniæ modicæ.	Prodigalitas & Illiberalitas.
4. Magnificentia.	Pecuniæ ac sumtus magni.	Luxus & Sordities.
5. Magnanimitas.	Honores magni.	Superbia & Psillanimitas.
6. Modestia.	Honores modici.	Ambitio & Ἀφιλοτιμία.

7. Man-

7. Mansvetudo.	Ira.	Iracundia & Lentitudo.
8. Humanitas.	Sermones & Actiones in Conversationibus decori.	Adulatio & Morositas.
9. Veracitas.	Verba & alia Signa, qvibus sensa animi nostri aliis aperimus.	Jactantia & Dissimulatio.
10. Urbanitas.	Joci ac Ludi.	Scurrilitas & Rusticitas.
11. Justitia.	Ea, qvæ legibus præcipiuntur: ac speciatim Res distribuendæ & comutandæ.	Injustitia.

Qvi

Qvi vero Numerus Vndenarius nulli certo innititur fundamento; eſtqve mutilus, dum Virtutum reginam Pietatem, præſtantiſſimasqve alias, omittit. Ut taceam, qvod *Liberalitas* & *Magnificentia*, nec non *Magnanimitas & Modeſtia*, peculiares hic conſtituantur Virtutes; cum non ſpecie, ſed gradu tantum differant, ſecundùm magis & minus.

Qva ratione commodiore Virtutes dividuntur ac recenſentur?

Qvemadmodum Officia Hominis a Juris Naturæ Doctoribus diſpeſcuntur in ea, qvæ *Deo*, qvæ *Nobis* & qvæ *Hominibus aliis* debentur: ita Virtutes partim *Deum*, partim *Nos ipſos*, partim *Homines alios* reſpiciunt.

[Cic. 1. Tuſc. Qvæſt. *Philoſophia*, inqvit, *nos primum ad Deorum cultum, deinde ad Jus hominum, qvod ſitum eſt in generis humani ſocietate, tum ad modeſtiam magnitudinemqve animi*

animi erudivit Vid. Nobiliss Schilterus in Manuduct. Philos. Mor. ad Jurisprud. pag.33.& 41. Ita Paulus ad Tit.II.12, Summam Virtutis complectens, jubet, ut σωφρόνως καὶ δικαίως καὶ εὐσεβῶς (*temperanter & juste & pie*) vivamus hoc in seculo.]

Qvæ ergo Juris Naturalis præcepta in studio Virtutis præcipue sunt observanda?

Hæc tria: Vive erga *Deum* pie; erga *teipsum* temperanter; erga *proximum* juste ac socialiter! Ad primum revocantur Virtutes *Pietati* inclusæ: ad secundum Virtutes sub *Temperantia* comprehensæ; ad tertium Virtutes, qvæ ad *Justitiam* referri solent.

[Hæc Virtutum divisio accommodatissima videtur Legis Naturæ fundamento; qvod est *Cognitio, cultus amorqve Dei, Sui ipsius, & Proximi.* Vid. Compend. Jurisprud. Vniversf. ex Sam Pufendorfii Opere de J.-N. & G. concinnatum & editum Francofurti 1694. pag. 58. 59. Vel, ut alii, fundamentum illud exprimere malunt: Diligere *Deum*, diligere *Proximum* æqve ac *Seipsum*.]

Qvid

Quid est Pietas?

Est Virtus, qua Deum rite cognoscimus & colimus. *Objectum* ejus est DEUS rite cognoscendus & colendus.

[Quare a Lipsio Lib. 1. Polit. c. 2. Pietatis duo velut rami constituuntur: *Rectus de Deo sensus, & rectus in Deum cultus.* Atque adeo primum illud J. N. præceptum: *Vive erga Deum pie!* in hæc duo resolvitur: *Recte de Deo senti! & Deum rite cole!*]

Quæ de Cognitione Dei, sive recto de Deo sensu notanda?

Intelligitur hic Cognitio Dei naturalis; qvale γνωστὸν τοῦ Θεοῦ paganis etiam manifestum esse, Paulus docet ad Rom. I. 19. 20. Adeoqve cuivis homini recta ratione prædito hæc de Deo sentienda sunt & credenda: (1) Deum revera existere: (2.) Esse eum universi hujus conditorem, conservatorem & regnatorem; (3) Esse eum Æternum, Viventem, Optimum,

mum, Omnipotentem, Omniscium, Justum &c. nec ullum attributum cadere in Deum, qvod imperfectionem aliqvam involvat.

[De hac Naturali Dei Cognitione vid. Pufendorfius Lib. I. de Offic. H. & C. cap. 4. H. Grotius Lib. I. de Verit. Relig. Christ. Phil. Mornæus de Eadem Cap. 1. & seqq. ac varii Naturalis Theologiæ Scriptores. Sciendum enim, qvod Cognitio hæc Essentiæ & Attributorum divinorum, tanqvam principium & fundamentum Cultus divini, ex Theologia Naturali h. l. præsupponatur.]

Qvid de Cultu Dei tenendum?

Cultus Dei alius est *Internus*, qvi consistit in ejus Amore, Timore, Veneratione, Spe item ac Fiducia in illum collocanda: alius *Internus & Externus simul*, qvi exhibetur (1) Voce, ut Invocatione, Laudatione, Gratiarum actione; (2) Ritibus ac Ceremoniis legitimis: (3) ipsa Vita, Deum videlicet, qvantum nobis possi-

possibile imitando, & Obseqvio eidem, ut Conditori ac Domino nostro, semper præstando.

[Hunc Dei Cultum collective sumtum, una voce nonnulli vocant *Religionem*. Cic. V. in Verr. *Omnes*, inqvit, *Religione moventur, & Deos patrios, qvos a majoribus acceperunt, colendos sibi diligenter & retinendos arbitrantur.*]

Qvodnam ergo est Viri Pii Officium?

Viri Pii officium in eo consistit, ut Deum rite cognoscat, h. e. recte de Dei existentia & attributis sentiat; illumqve super omnia amet, timeat, veneretur, in eum spem ac fiduciam suam collocet, inqve voluntate ejus reverenter acqviescat; præterea ut Eundem prece, laudatione, gratiarum actione, ritibusqve ac ceremoniis legitimis celebret, ac vita, qvantum possibile, imitetur.

[Ita de Deo sentiendum, ita eundem colendum esse, sapientiores qvoqve Gentiles ex lumine

Naturæ didicerunt, ac docuerunt. Vid. Theatr. meum Virtutum ab Aristotele omissarum Cap. I. §. IV. V. & seqq. In qva tamen Naturali Dei Cognitione & Cultu nos Christiani non acqviescimus, sed ad Revelatam qvoqve progredimur, qvæ consistit in notitia unius Essentiæ divinæ, in qva distinctæ sunt tres Personæ: atqve in Notitia Voluntatis Dei patefactæ per doctrinam Legis & Evangelii. De utraqve hac Dei Cognitione pie scribit Tertullianus l. adversus Marcionem: *Nos definimus DEUM primò naturâ cognoscendum, dehinc doctrinâ recognoscendum: natura ex operibus, doctrina ex prædicationibus.* Et de Resurrect. Carnis idem: *Præmisit tibi Naturam magistram, submissurus & Prophetiam; qvo facilius credas Prophetiæ, discipulus Naturæ.*]

Qvæ Vitia opponuntur Pietati?

Pietati generatim opponitur *Impietas*, vitiorum maximum; per qvod homo alienus est a vera Dei Cognitione & Cultu eidem rite præstando. Speciatim huc pertinent *Atheismus, Polytheismus, Idololatria, Superstitiositas &c.*

An

An vero Pietas (qvatenus sumitur pro Virtute, qva Deum rite cognoscimus & colimus) inter Virtutes in Ethica Philosophica recte numeratur?

Omnino: (1) Qvia omnes homines non tantum Jure Naturæ sunt obligati ad colendum Deum; sed & omnes, modo sint sanæ mentis, communi sensu fatentur, *Deum colendum esse.* De qvo principio practico, sicut & aliis, jure suo agit Philosophus Practicus. (2) Qvia pleriqve Philosophorum gentilium (ut Plato, Cicero aliiqve) Pietatem non solùm in numerum Virtutum receperunt, sed & eam primo posuere loco. (3) Qvia Virtus hæc non tantùm futuræ vitæ, sed & præsentis beatitatem promovet; 1. Tim. IV. 8. & in societate humana ac civili usus atqve effectus habet longe maximos.

[Cic. 1. de Nat. Deor. *Pietate sublata, fides etiam & societas generis humani tollatur necesse est.* Numa Pompilius res duas magnopere pertinere ad felicitatem Reip. existimavit, *Pietatem* & *Justitiam*. Qvid? qvod ipse Aristoteles VII. Polit. 8, Cultum divinum ex eorum numero esse docet, sine qvibus Civitas consistere non potest.]

Exempla.

Pietatis exempla e Sacris sunt *Henoch, David, Josaphat, Simeon*, Luc. II. 25. *Cornelius*, Act. X. 2. aliiqve. Ex ordine Gentilium *Socrates, Numa Pompilius, Seneca* &c. Ex Imperatoribus Christianis *Constantinus M., Theodosius I. & II*; qvorum posterior aulam suam instituit veluti Scholam, in qva ad pietatem se suósqve exercuit, observans ordine distributa tempora lectionum, hymnorum, jejuniorum &c. Vid. Socrates Lib. VII. Histor. Eccles. c. 22. & Niceph. Lib. XIV. c. 3.

[Hæc breviter de *Pietate*: in qva omnes illæ Virtutes, qvæ Deum respiciunt, (ut Dilectio Dei, Timor Dei, Celebratio Nominis divi-

ni

ni &c.) tanqvam Partes potentiales, comprehenduntur.]

Qvo præcepto continentur Officia Hominis erga Seipsum?

Hoc: *Vive erga te ipsum temperanter!* Nimirum ex præscripto Legis Naturalis Homo erga seipsum ita se gerere debet, ut rebus, qvibus ad sui conservationem indiget, h.e. bonis corporis ac fortunæ, ordinate moderateqve utatur; inqve rebus secundis voluptatem, in adversis dolorem temperet. Circa Bona Corporis & Fortunæ versatur Temperantia; circa adversa Fortitudo.

Qvo in significatu sumitur hic Temperantia?

Latiore in significatu, Veteribus haud ignoto; pro Virtute, qvæ temperat voluptates, dolores & cupiditates nostras, occupata vel circa Res naturales, vel circa Fortunæ Bona.

Qvatenus occupatur circa *Res Naturales*, sub se comprehendit Frugalitatem, Castitatem, Sedulitatem, & huic junctam Vigilantiam. Qvatenus occupatur in Fortunæ bonis, ea complectitur ratione Opum & Pecuniarum, Αὐτάρκειαν (Sufficientiam) & Parsimoniam; ratione Honorum, Modestiam.

Qvid est Frugalitas?

Frugalitas est temperantia in Cibo ac Potu; sive, Virtus in sumendo Cibo ac Potu modum præscribens. Frugalitas in sumendo cibo, vocatur Abstinentia; in sumendo potu, Sobrietas. *Objectum* ejus sunt Esculenta & Potulenta: indeqve afficientes palatum & gulam nostram voluptates.

Qvodnam est Officium Viri Frugalis?

In sumendo cibo ac potu, habeat ratio-

rationem (1) *Qvantitatis*, ut tantum capiat, qvantum stomachus commode concoqvere, corporiqve alendo, & functionibus animi recte subeundis, permitti potest: (2) *Qvalitatis*, ne esculenta ac potulenta sumat noxia, nimis pretiosa, aut turpium voluptatum flammas excitantia: (3) *Finis*, qvi est valetudinis ac vitæ conservatio: (4.) *Temporis, Loci* & *Modi*. Conf. Siracid. XXXI. v. 12. & seqq.

[Utatur etiam *Jejunio* sano; h. e. abstineat qvandoqve a cibo & potu præter solitum; sicqve corpus coërceat, ut rationi facilius pareat, & ad exercitia Pietatis animus reddatur alacrior.]

Qvæ Vitia Virtuti huic opponuntur?

Frugalitati opponitur *Intemperantia in Cibo ac Potu*. Qvæ in cibo per excessum peccat, vocatur *Voracitas*; qvæ in potu, *Bibacitas*; cu-

 jus

jus pedisseqva est Ebrietas. *Nimia* a cibo ac potu *Abstinentia* rarius reperitur. *

* Deprehenditur in avaris qvibusdam & sanctitatem simulantibus; de qvibus vid. Es. LIIX. 5. & Coloss. II. 23. Referri huc etiam possunt, qvi ἀποκαρτερήσει seu *inedia* vitæ suæ filum abruperunt; ut *Atticus* apud Corn. Nep. Vit. c. ult. *Cornelius Rufus* & *Silius Italicus*, apud Plin. jun. Lib. I. Ep. 12. & Lib. III. Ep. 7.

Exempla Frugalitatis.

Daniel cum *sociis* suis, Dan. I. v. 8. & seqq. *Hanna*, Luc. II. 37. *Socrates*, qvi per omnem ætatem vixit frugalissime: dicere solitus, Alios vivere, ut edant, se vero edere, ut vivat. *Xenocratis* caseolus, & *Platonis* coenulæ, de cibo frugali, sed salutaribus colloqviis condito, proverbiis circumferuntur. De *Romuli*

muli abstinentia vid. Gellius Lib. XI. c. 14. *Julius Cæsar* vini parcissimus fuit; de qvo verbum est Catonis: Vnum ex omnibus Cæsarem ad evertendam Remp. sobrium accessisse. *Carolus M.* in cibo potuqve temperans, ebrietatem in qvocunqve homine, nedum in se ac suis, plurimum abominabatur; teste Eginharto in Vit. *Ferdinandus I.* Imperator, vino nunqvam superatus; de qvo vid. Theatr. Christ. Matthiæ Cap. II. in Vit. domestica, pag. 1083.

Qvid est Castitas?

Est temperantia circa Venerem: sive Virtus, qvæ Veneris appetitum & usum moderatur. *Objectum* ejus sunt res, qvæ Venerem excitare possunt; necnon ipse Veneris usus.

[Castitas, dum vitat sermones & gestus ardorem Venereum provocantes, appellatur *Pudicitia*; dum ab ipso Veneris actu se continet, dicitur *Continentia*.]

Quod est Officium hominis Casti?

Ratione *Pudicitiæ* cohibeat oculos, aures, lingvam, manus, aliaqve membra sua, ne qvidqvam videat, audiat, loqvatur aut agat, qvod vel in se, vel in aliis illiciti amoris desiderium incendere possit. Ratione *Continentiæ*, non solùm ab omni illicito Veneris usu se contineat, sed & licita in conjugio Venere parce ac verecunde utatur.

Quæ Vitia opponuntur Castitati?

Generatim ei opponitur Libido: Pudicitiæ Impudicitia; Continentiæ Incontinentia. *Libido* est in animo potissimum: *Impudicitia* cernitur in verbis & gestibus obscoenis: *Incontinentia* circa ipsos actus Veneris illicitos versatur, v. g. scortationem, adulterium &c *Nimia Veneris aversatio* rarius invenitur *

[*Refe-

[* Referunt huc *Origenem*, qvi ad vitandam Venerem seipsum castrasse dicitur. Et *Diogenem Cynicum*, qvi, cum aliqvando feminam de arbore pensilem vidisset, dixisse fertur: *Utinam omnes arbores tales ferrent fructus!*]

Exempla Castitatis.

Joseph ab uxore Potipharis se continens, Genes. c. XXXIX. *Hiob*, cap. XXXI. 1. *Susanna* Jojakimi uxor. *Alexander* a Darii conjuge & filiabus pulcherrimis abstinens. *Germani veteres*, qvi soli barbarorum singulis uxoribus contenti, & qvorum casta & severa erant matrimonia. Tacit. Germ. c. 18. 19. Add. Lipsius Lib. II. Monit & Exempl. Polit. Cap. 17. ubi & *Cyrus*, & *Scipio Africanus*, & *Maximilianus I. Imp.* aliiq; hac a Virtute laudantur.

Qvid est Sedulitas?

Est laboris & qvietis moderatrix: sive Virtus, per qvam operas ac labores personæ ac officio nostro convenientes alacriter suscipimus & constanter perficimus. *Objectum* ejus sunt labores & opera vocationi nostræ propria & necessaria: eaqve, veluti decet, suscipienda, continuanda, perficienda.

Qvod est Officium hominis Seduli?

In laborando habeat cumprimis rationem (1) *Objecti*; ut operetur manibus, qvod bonum est; 1. Tim. VI. 18. h. e. laboribus honestis, Deo gratis, sibiqve & proximo utilibus & convenientibus, se exerceat. (2) *Finis*: laboret, ut se suosqve honeste alere, aliisqve benefacere possit. (3) *Temporis* & *Modi*. Non tractet opera manuum, tempore cultui divino

aut

aut qvieti destinato : & si fatigatus fuerit, corpus pariter & animum recreet; secundum Poëtæ monitum:

Interpone tuis interdum gaudia curis,
ut possis animo qvemvis perferre laborem!

Major post otia virtus!

Qvæ Vitia opponuntur Sedulitati?

(1) *Desidia* seu *Otiositas*, vitium in laborando deficiens, & ea, qvæ nostri sunt officii, negligens. (2) *Diligentia nimia & morosa*, vitium in laborando modum excedens: & majores, qvam opus est, labores in re qvapiam ponens. Ubi notetur illud Scipionis apud Cic. II. de Oratore: *Non amo nimium diligentes!*

Qvid est Vigilantia?

Soror Sedulitatis Vigilantia, est So-

mni & Vigiliæ moderatrix. Hominis itaq; Vigilantis officium eſt, non plus temporis ſomno impendere, qvam ad recreandas vires diurno labore proſtratas reqviritur; nec pro ſua tantum, ſed & aliorum ſalute alacriter excubare.

[Decet proinde Virtus hæc imprimis (1) *Principes* aliosqve *Magiſtratus*, qvi vocantur ac eſſe debent Vigiles & Cuſtodes ſalutis publicæ. (2) *Paſtores* & *Inſpectores Eccleſiarum*, qvi hinc dici ſolent Vigilantiſſimi. (3) *Patres* & *matresfamilias*. (4) *Studioſos* bonarum artium, qvi nôrint, Auroram Muſis amicam.]

Qvodnam Vitium ei opponitur?

Somnolentia, non involuntaria illa ſeu morboſa corporis affectio, de qva conſuli debent Medici; ſed voluntaria ac vituperabilis, qva qvis ultra modum naturæ convenientem ſomno indulget; nec ſuis nec aliorum commodis invigilat.

Exem-

Exempla Sedulitatis & Vigilantiæ?

Jacob Patriarcha, Genes. XXXI. v. 6. & 40. *Paulus*, 2. Thessal. III. 8. & 2. Cor. VI. 5. *Demosthenes*, cuj⁹ enthymemata lucernam olebant: qviqve plus olei (lucubrando) qvam vini consumsit. *Cleanthis* etiam & *Aristophanis* lucernæ hodieqve celebrantur ab eruditis. *Vespasianus*, qvi, cum dysenteria laboraret, reprehensus a medicis, qvod nihilominus imperatoria munera obiret, Imperatorem, ait, stantem oportet mori. Add. Valer. Max. Lib. IIX. Cap. 7; qvod agit de Studio & Industria *Catonum* Majoris & Vticensis, *Pythagoræ*, *Chrysippi* & aliorum.

Qvid est Αὐτάρκεια sive Sufficientia?

Αὐτάρκεια (Germ. die Vergnüglichkeit) est Virtus divitiarum appetitum

titum & ſtudium moderans; ac faciens, ut bonis præſentibus contenti acqvieſcamus. *Objectum* ejus ſunt Opes ac Divitiæ, qvatenus in his appetendis ac poſſidendis modus eſt tenendus.

[Virtutem hanc commendat Apoſtolus, ſcribens 1. Tim. VI. v. 6. 7. 8: ἐςὶ πορισμὸς μέγας ἡ εὐσέβεια μετὰ αὐταρκείας: *Eſt magnus qvæſtus Pietas cum Sufficientia* &c. Ac Cic. de Senectute: *Contentum rebus ſuis eſſe, maximæ ſunt certiſſimæqve divitiæ.*]

Qvod eſt Officium Hominis rebus ſuis Contenti?

Vt contentus ſit bonis Dei benignitate ſibi conceſſis, nec cœco divitiarum amore abreptus animum ad parandas illicitis modis opes appellat. Itaqve non appetit bona aliena & ad ſe non pertinentia, non inhoneſta; ſed ea tantùm, qvæ ad vitam ſuam ſuorumqve ſine moleſtia ac dedecore tranſigendam ſunt neceſſaria.

Qva:

Quæ Vitia hìc sunt fugienda?

(1) *Avaritia* (φιλοχρηματία) vitium, qvo homo nimis est appetens divitiarum, easqve corradendi insatiabili trahitur cupiditate. (2.) *Pecuniæ ac divitiarum contemtus*, (Ἀφιλοχρηματία) vitium, qvo homo de necessariis vitæ bonis & opibus juste acqvirendis curam nullam suscipit. Parit vitium hoc filias duas admodum deformes: Ignaviam in officio, & fœdam Paupertatem.

[*Avaritia* hìc sumitur, qvatenus refertur *ad nos*, & non *ad alium*; hoc enim posteriore modò sumta opponitur Liberalitati, & rectius dicitur Illiberalitas Ἀνελευθερία, qvæ nihil aut parum aliis dat commodatqve de bonis suis.]

Exempla τῆς Αὐταρκείας.

Omnia huc referri possunt eorum supra commemoratorum, qvi affectui Desiderii & Cupiditatis modum posuerunt; ut (*a*) *Agur*, Proverb.

verb.XXX. v.7.8.9. (b) *Paulus*, ad Philipp.IV. 11. 12. Qvibus addatur (c) *Samuel*, cujus insignis exstat oratio ad universum Israëlis populum 1.Sam.XII. v. 2. 3. seqq. (d) *Corycius* ille senex apud Virgilium Lib.IV. Georgic. qvi cum pauca ruris jugera, nec illa qvidem segeti adeo opportuna, possideret, tamen

Regum aeqvabat opes animis, seraqve revertens
nocte domum, dapibus mensas onerabat inemtis.

(e) *Erasmus* Lib. XXII. Epist. 5. scribens: *Utinam sic liceat sumtus moderari, ut morienti nec proprium aes, nec alienum supersit: praeterqvam qvod huic ubicunqve reponendo corpusculo sit opus.*

Qvid est Parsimonia?

Est Virtus, qvae conservandarum opum nostrarum studium moderatur.

tur. *Objectum* ejus ſunt Opes noſtræ, ac ſumtus, cumprimis Oeconomici, (in victum, amictum, ſupellectilem, ædificiorum ſtructuram &c. impendendi) qvatenus in his erogandis, in opibus vero conſervandis, modus eſt tenendus.

[Virtus hæc Senecæ vocatur *ſcientia vitandi ſumtus ſupervacuos*; aut *ars re familiari moderate utendi*. Lib. II. de Benef. c. 34.]

Qvod eſt Officium hominis Parci?

Vt res & facultates ſuas diligenter cuſtodiat, utiliter collocet, frugaliter vivat, emacitatem & ſponſiones temerarias evitet; ſumtus, ubi Pietas, Honeſtas & Neceſſitas poſtulant, circumſpecte impendat, minus vero neceſſarios temperet aut intermittat.

[Notetur hic dictum Ciceronis: *O Dii immortales! Non intelligunt homines, qvam magnum vectigal ſit parſimonia.* Paradox. ult.]

Quæ Vitia opponuntur Parsimoniæ?

(1) *Sumtuositas*, sive inepta & supervacanea sumtuum profusio. (2) *Sordida Tenacitas*, h. e. indecora & intempestiva parsimonia iis in rebus, qvæ ad Pietatem, Necessitatem & Statum hominis tuendum, pertinent.

[Hæc Theophrasto vocatur Μικρολογία sive *Sordida Parsimonia*, Cap. XI. Character.]

Exempla Parsimoniæ.

(*a*) *Servator* jubens, ut discipuli fragmenta panum & piscium colligant, & (*b*) *Discipuli* mandato huic parentes ac parsimoniam colentes; Joh. VI. 12. 13. (*c*) *Joseph*, colligens fruges, & levandæ annonæ caritatis caussa asservans; Genes. XLI. 33. &c. seqq. (*d*) *Marcus Cato*, qvi, suo exemplo, patremfamiliâs vult vendacem, non emacem esse; & cujus

dictum est apud Senecam: *Emas*
n quod opus est, sed quod necesse
. *Quod non opus est, asse carum*
. (e) Ipse *Seneca*, qvi suum Par-
noniæ amorem ac rationem de-
ibit graphice de Tranqvill. Animi
p. I: *Tenet me summus amor Par-*
oniæ, fateor. *Placet non in am-*
ionem cubile compositum, non ex
cula prolata vestis &c. (f) *Pomp.*
tticus, de qvo Corn. Nepos in
t. c. 13. scribit: *Neque vero mi-*
s ille vir, bonus paterfamiliâs ha-
us est quamcivis: nam cum esset
uniosus, nemo illo minus fuit e-
x, minus ædificator.

Qvid est Modestia?

Est Virtus appetitum & studium
noris moderans. *Objectum* ejus
t Honores appetendi & fugiendi;
majores sint, sive mediocres.

Aristo-

[Aristoteles circa Honores duas versari Virtutes docet, *Magnanimitatem* ac *Modestiam*; illam circa Honores majores, hanc circa mediocres & minores. Sed Gradus Objecti non variant Speciem. Alii *Magnanimitatem* Fortitudinis speciem esse malunt, qvam illius Virtutis, qvæ appetitum honoris moderatur. Ita Cic. III. Tuscul. *Necesse est*, ait, *qvi sit fortis, eundem esse magni animi.* Et Cl. Becmanus in Lin. Moral. Cap. XV. §. IX: *Magnanimitas non solo Honorum, sed generaliori ambitu Virtutum aliarum qvoqve metienda est, ac partem Constantiæ constituit* &c.]

Qvod est Officium Viri Modesti?

Vir Modestus (1) Honores ambit moderate, & eo, qvo decet, modo; non per vim, dolum, munera, malas artes. &c. Nec Honorem expetit per se, sed ut testimonium virtutis suæ, & qvatenus per eum idoneus redditur ad promovendam proximi salutem & gloriam Dei. (2) Declinat dignitates meritis ac virtutibus suis altiores; interdum & honores

es fugit ac recusat, non ut suæ
:um tranqvillitati & otio consu-
sed qvod animadvertat, se Deo
Reip. in iis servire vel penitus, vel
saltem tempore, non posse.

væ Vitia opponuntur Modestiæ?

1) *Ambitio*, vitium in appeten-
& consectandis honoribus mo-
n excedens; (2) *Nimius hono-
i contemtus*, cum honores, qvi-
tamen ab aliis digni judicamur,
imus ac præfracte aspernamur.
d vitium est satis obvium; hoc
.rum, idqve sæpius ab animo ab-
o aut pervicaci proveniens.

Qvia omnes fere naturâ honoris
: gloriæ sumus cupidi. Referri
amen huc potest *Ephrem Syrus*,
cclesiæ Edessenæ Diaconus, qvi ad
piscopatum electus, primo stulti-
iam simulavit, dein aufugit; teste
ozomeno.]

Exem-

Exempla Modestiæ.

(*a*) *Moses*, qvi cum populo Dei maluit affligi & exul fieri, qvam pro filio Pharaonis haberi, & magnis apud Ægyptios honoribus frui. (*b*) *Christus* Servator, qvi fuit humilis corde, Matth. XI, 29; & cum populus eum Regem eligere vellet, fugit in montem ipse solus. Joh. VI. 15. (*c*) *Pythagoras*, qvi noluit appellari σοφὸς, qvod Sapientiæ laudem Deo soli relinquendam esse censeret, sed Φιλόσοφος nominari maluit. (*d*) *Julius Agricola*; de qvo socero suo Tacitus: *Nec Agricola unqvam in suam famam gestis exsultavit; ad auctorem & ducem, minister, fortunam referebat: ita virtute in obseqvendo, verecundia in prædicando, extra invidiam, nec extra gloriam erat*, in Vit. c. 8. (*e*) *Fridericus* Sapiens, Elector Saxoniæ, qvi ultro oblatum Imperium recusavit, & Carolo V decre-

vit; præterea oblatam ſibi ab Hi-
ıis ob id magnam pecuniæ ſum-
m conſtantiſſime rejecit. Slei-
. Lib. I. de Stat. Relig. p. 26.

Qvid eſt Fortitudo?

Eſt Metus ac Fiduciæ moderatrix;
, eſt Virtus, per qvam excelſum
iſtumqve arduis in rebus ani-
m gerimus. *Objectum* ejus ſunt
qvæ metum ac fiduciam tum do-
tum militiæ, afferre poſſunt. Eſt
adeo duplex: *Togata*, quæ & Do-
tica, ac *Sagata*, qvæ & Bellica
llatur. Togata a toga, qva Roma-
ıcis tempore utebantur; (hinc
a metonymice pro Pacis inſigni)
ıta a ſago, indumento militari,
ominatur.

vid eſt Fortitudo Togata?

ſt Virtus, qva qvis magno ani-
deſpicit vel moderatur ea, qvæ

Exempla Modestiæ.

(*a*) *Moses*, qvi cum populo Dei maluit affligi & exul fieri, qvam pro filio Pharaonis haberi, & magnis apud Ægyptios honoribus frui. (*b*) *Christus* Servator, qvi fuit humilis corde, Matth. XI, 29; & cum populus eum Regem eligere vellet, fugit in montem ipse solus. Joh. VI. 15. (*c*) *Pythagoras*, qvi noluit appellari σοφὸς, qvod Sapientiæ laudem Deo soli relinquendam esse censeret, sed φιλόσοφος nominari maluit. (*d*) *Julius Agricola*; de qvo socero suo Tacitus: *Nec Agricola unqvam in suam famam gestis exsultavit; ad auctorem & ducem, minister, fortunam referebat: ita virtute in obseqvendo, verecundia in prædicando, extra invidiam, nec extra gloriam erat*, in Vit. c. 8. (*e*) *Fridericus* Sapiens, Elector Saxoniæ, qvi ultro oblatum Imperium recusavit, & Carolo V decre-

crevit; præterea oblatam sibi ab Hispanis ob id magnam pecuniæ summam constantissime rejecit. Sleidan. Lib. I. de Stat. Relig. p. 26.

Qvid est Fortitudo?

Est Metus ac Fiduciæ moderatrix; sive, est Virtus, per qvam excelsum invictumqve arduis in rebus animum gerimus. *Objectum* ejus sunt ea, qvæ metum ac fiduciam tum domi, tum militiæ, afferre possunt. Estqve adeo duplex: *Togata*, quæ & Domestica, ac *Sagata*, qvæ & Bellica appellatur. Togata a toga, qva Romani pacis tempore utebantur; (hinc Toga metonymice pro Pacis insigni) Sagata a sago, indumento militari, denominatur.

Qvid est Fortitudo Togata?

Est Virtus, qva qvis magno animo despicit vel moderatur ea, qvæ

metum & fiduciam afferre possunt in adeundis & perferendis laboribus ac periculis extra militiam, honestatis & publicæ utilitatis gratia. *Objectum* ejus primarium sunt τὰ φοβερὰ, formidabilia, mala nimirum & pericula, extra bellum intrepide adeunda ac ferenda; secundarium τὰ θαῤῥαλέα, sive ea, qvæ fiduciam afferunt; ut Divitiæ, Honores, Potentia &c. Qvorum blandimentis non capitur vir fortis, memor illius: *Nemo confidat nimium secundis.*

Qvod est Officium Viri in Toga Fortis?

Aggreditur is toleratqve adversa & pericula varia, domi & extra militiam imminentia, aut jam incumbentia, tanto animi robore, ut nullis minis aut pœnis ab honesto proposito dimoveri possit. * Adeoqve in foro, curia, & alibi, ea, qvæ sentit, libere

bere dicit, ac sæpe verbis consiliisqve suis res majores, qvam alii armis, gerit. Cœterum & Mala tam Publica (qvalia sunt Bellum, Pestis, Fames, Inundationes &c.) qvam Privata (ut sunt Exilium, Carcer, Paupertas, Morbi, domesticorum & amicorum Orbitas,) qvando mutare ac impedire non licet, magno fert animo, ac volens seqvitur, qvocunqve ipsum divina duxerit providentia. Qvin & Mortem, etiam in pace, pro Rep. aut asserenda sanguine suo cœlestis doctrinæ veritate, publice aut in lectulo ** obeundam, fortiter excipit; non ut rem omnium terribilissimam, sed ut transitum ad vitam meliorem. Deniqve nec nimis æstimat magnas divitias & honores; multo minus his, idqve genus aliis fortunæ blandimentis, intumescit. Qvadrant proinde in illum verba ista apud Livium: *Is demum vir erit,*

cujus animum nec prospera fortuna suo flatu efferet, nec adversa infringet. Lib XLV. c.8.

[* Secundum illud Horatii Lib. III. Od. 3: *Justum & tenacem propositi virum, Non civium ardor prava jubentium, Non vultus instantis tyranni, mente qvatit solida.* &c.

** Seneca Epist. 78: *Est Virtuti etiam domi ac in lectulo locus. Non tantum arma & acies dant argumenta alacris animi indomitiqve terroribus. Et in vestimentis virtus apparet.*]

Qvæ Vitia opponuntur Fortitudini Togatæ?

(1) *Audacia* sive Confidentia ea, qva qvis extra militiam privatim ac publice, plus confidit, qvam par est. Cui cognata est *Durities*, qvando nonnulli, sive ex belluino qvodam stupore, sive obstinatione animi, citra necessitatem & honestatem, summis se doloribus ac periculis objiciunt. *a.* (2) *Timiditas* sive *Mollities animi*; qva qvis calamitatibus

ac

ac doloribus, qvi ex rectæ rationis dictamine ferri debebant ac poterant, succumbit *b*.

[*a* Veluti *Celtæ* olim, nec ruinas parietum, nec ædium incendia fugientes, marisqve fluctibus strictis gladiis occurrentes; apud Ælian. Lib. XII. Var. Histor. c. 23.

b Huc αὐτόχειρες referendi, qvi morborum ac ærumnarum tædio & qvadam animi mollitie, vitæ suæ filum abrumpunt; graviter adversus Jus Naturale ac Civile delinqventes.]

Qvid est Fortitudo Sagata sive Bellica?

Est Virtus, qva qvis magno animo despicit vel moderatur ea, qvæ metum & fiduciam afferre possunt in adeundis ac sustinendis malis atqve periculis bellicis, honestatis ac publicæ utilitatis gratia. *Objectum* ejus sunt Pericula & Mors bellica,

non temere sed circumspecte ac fortiter obeunda.

Quod est Officium Viri in Sago Fortis?

Livii verbis, *Facere & Pati fortia*; sive prudenter ac mascule adire ac perferre mala in bello obvenire solita. Adit vero Vir Fortis Pericula bellica non qvævis, sed qvæ sunt honesta, laudem conciliantia, inqve publicum utilia, videlicet ad patriæ, religionis ac libertatis defensionem facientia: neqve temere, viribus tantum ac copiis suis confidens, sed cum consilio & ratione ea aggreditur. Non recedit a statione sua, nec facile capessit fugam, nisi hanc plus commodi Reip. afferre cernat, qvam mortem. Dein Terribilia qvoqve constanter perfert; estqve, ubi opus, inediæ, æstus, algoris, vigiliarum patiens: ac vulnera etiam, captivita-

tem,

tem, imo ipsam mortem, fert fortiter; dulce ac decorum putans, pro patria mori.

[Ex dictis patet, *Fortitudinem* tum Togatam tum Sagatam dividi posse in Propulsantem ac Tolerantem. *Propulsans* versatur circa aggredienda fortiter Mala, sive domestica, sive bellica; *Tolerans* versatur circa eadem mala utraqve fortiter sustinenda; estqve hæc nihil aliud qvam *Patientia*.]

Qvæ Vitia opponuntur Fortitudini Sagatæ?

Audacia itidem & *Timiditas*. Audacia hic loci est vitium in pericula bellica temere se conjiciens; Timiditas, vitium pericula bellica fugiens. Illa Virtuti est similior; indeqve *Fortitudinis simia* vocari solet.

Exempla Fortitudinis Togatæ & Patientiæ.

(a) *Cicero*, qvi Catilinæ furoribus non solum mascule se opposuit, sed & propterea a Clodio hujusqve so-

ciis in exilium pulſus, omnes inde manantes novercantis fortunæ injurias fortiter ſuſtinuit. Hinc Plinio dicitur *primus in Toga triumphum linguaqve lauream meritus: imò omnibus triumphis lauream adeptus majorem.* Lib. VII. Hiſt. Nat. c. 30. (*b*) *Cato*, qvi qvater & qvadrageſies in foro cauſſam dixit adverſus iniqvas criminationes, & ſemper abſolutus eſt. (*c*) *Socrates, Phocion, Seneca* & alii, qvi Mala publica & privata eodem vultu pertulerunt. Inprimis vero heroicæ Patientiæ Exempla huc pertinent, *Hiobi, Davidis, Danielis*, hujusqve *ſociorum* in fornacem conjectorum, *Fratrum Maccabæorum*; ipſius *Chriſti, Apoſtolorum*, præſertim, *Pauli, Stephani, Laurentii*, aliorumqve SS. Martyrum.

Exem-

Exempla Fortitudinis Sagatæ.

Ex ſacris *Joſua*, *David*; *Judas Maccabæus*; e civilibus hiſtoriis *Alexander M.* de qvo vid. Curtius; *Jul. Cæſar*, de qvo conſulantur ipſius Commentarii, & Orat. Cic. pro M. Marcello; *Pompejus*, de qvo vid. Orat. Cic. pro L. Manil. item *Miltiades*, *Themiſtocles*, *Epaminondas*, *Hannibal* & alii apud Corn. Nepotem. E juniore hiſtoria, *Carolus M. Otto M. Rudolphus I. Carolus V. Guſtavus Adolphus* & *Carolus Guſtavus* Reges Sveciæ, *Fridericus Wilhelmus* Elector Brandenb. aliiqve plures.

[*Fortitudo Sagata* ſive Bellica tum Nos ipſos, tum alios homines reſpicit; imo eſt Politica magis, qvam Ethica virtus, & ad perniciem clademqve hominum ut plurimum comparata. Siqve Concordia & Juſtitia ubiqve (inter Chriſtianos ſaltem) obtinerent, poſſemus Virtute hac omnino ſuperſedere.]

Qvænam Fortitudo videtur præstantior, Togata an Sagata?

Respondeo verbis Poëtæ: *Fortior est, qvi se, qvam qvi vastissima vincit mœnia.* Atqve istis Tullii: *Cedant arma togæ; concedat laurea lingvæ!* Conf. Lib. I. Off. c. 22.

Qvo Præcepto continentur Officia aliis hominibus debita?

Hoc: *Vive erga alios juste ac socialiter.*

Qvid est Justitia?

Est Virtus suum cuiqve tribuens, & qvod jus exigit, præstans. Hinc & JCtis dicitur constans & perpetua voluntas suum cuiqve tribuendi.

Qvotuplex est Justitia?

Universalis & Particularis.

Qvid

Qvid est Justitia Universalis?

Est virtutum complexus, suum cuiqve tribuens, non tantum in distribuendo, commutando, aliisqve actionibus stricto jure debitis, sed & in cæteris omnibus officii nostri (erga proximum) partibus, lege saltem Charitatis Humanitatisqve debitis.

[Dicitur etiam Obedientia omnibus legibus præstita; sive totius Vitæ integritas & innocentia, legibus conformis. Qvam qvi pro viribus sectatur, vir inter homines (nam coram Deo nemo est innocens) integer, justus & innocens audit.]

Qvodnam ejus est Oppositum?

Injustitia Universalis, vitiorum complexus, suum cuiqve, qvod ex Lege tum Justitiæ tum Charitatis debebatur, denegans.

[Dicitur & Inobedientia contra leges; nec pars tantum malitiæ, sed tota malitia.]

Qvid est Justitia Particularis?

Est Virtus suum cuiqve speciatim

in distribuendo & commutando tribuens; sive, qvæ Æqvalitatem servat in rerum distributione & commutatione stricto jure * debita. *Objectum* ejus sunt bona externa, prout respectu aliorum considerantur; pecuniæ imprimis & res in commercium venientes. Vulgo dividitur in Distributivam & Commutativam.

[* *Stricto* (sive Perfecto) *jure* debetur, qvod per vim, (in statu naturali) aut intentata in foro actione, (in statu civili) exigere alter potest, e. g. Rei ablatæ restitutionem. *Non stricto* (sive imperfecto) *jure* debentur, qvæ alter per vim, aut intentata in foro actione, exigere non potest. e. g. Consilium, Beneficium, & alia humanitatis officia. Hanc distinctionem nonnulli sic efferunt: Deberi alia aliis ex Lege *Justitiæ*, alia ex Lege *Charitatis*.]

Qvid est Justitia Distributiva?

Qvæ in rebus distribuendis suum cuiqve tribuit, æqualitatem ut plurimum * comparatam servans; e. g. in societate negotiatoria, ubi inæ-

qvales

quales conferuntur pecuniæ, ibi ſane in lucro & damno partes qvoqve pro rata fieri debent.

[* Dico, Æqvalitatem *ut plurimum* Comparatam; nam & æqvalia interdum conferunt ſocii, & tunc *Æqvalitas ſimplex* in diſtributione erit obſervanda. Peripatetici & alii huc etiam referunt Præmiorum & Onerum publicorum diſtributionem. Sed hæc (uti & Pœnarum irrogatio) ad Juſtitiam Rectoriam Prudentiamqve Politicam pertinet. Nos in Ethicis *Juſtitiam* conſideramus, qvatenus decet Virum bonum in ſe ſpectatum, extra Magiſtratus aut Judicis dignitatem conſtitutum.]

Qvid eſt Juſtitia Commutativa?

Qvæ in Contractibus & rebus commutandis ſuum cuiqve tribuit, ſimplicem æqvalitatem ſervans. Contract⁹ hîc intelliguntur Bilateres, qvi fiunt inter utramqve contrahentium partem volentem; ut ſunt Emtio-Venditio, Locatio-Conductio &c.

Qvod est Officium Viri Justi?

Ut omne illud præstet ac tribuat proximo suo, qvod vel imperfecto vel perfecto sive stricto jure ipsi debetur; ac speciatim in rebus tum distribuendis tum commutandis, emendis, vendendis, depositis vel mutuo acceptis reddendis, pactis & promissis servandis, ita se gerat, ut neminem ulla ratione defraudet, & alios qvoqve ab injustitia pro virili revocet; neqve res alienas, vel vi vel dolo malo, clam aut aperte, ad se pertrahat, sicqve ab omni furto, rapina, contumelia & damno aliis dando, abstineat, & injuriam potius patiatur, qvam alteri inferat.

Qvodnam est Oppositum Justitiæ Particularis?

Injustitia Particularis, vitium in distribuendis & commutandis rebus æqvalitatem violans.

Exem-

Exempla Justitiæ Universalis.

Huc pertinent ii, qvi in Sacris dicuntur *Justi*, & mandata Dei custodientes, ut *Abraham*, *Josua*, *David*; inprimis *Zacharias* & *Elisabeth*, Luc. I. 6. E civilibus historiis *Socrates*, qvi privatim ac publice erga cunctos ex legum præscripto se gessit, teste Xenophonte. *Aristides*, vocatus Justus, qvia nihil in vita ejus reprehendi poterat; testibus Plutarcho & Corn. Nepote in Vit. *Phocion*, qvi ex integritate vitæ cognomen Boni accepit. *Prisci Romani*, de qvibus Sallustius in Catil. c. 9: *Jus bonumque apud eos non legibus magis qvam natura valebat.*

Exempla Justitiæ Particularis?

Iterum *Abraham* agens cum Ephrone, & qværens conjugi suæ mortuæ sepulturam, Genes. XXIII.

13, 16. *Jacob*, justitiam ac fidem suam profitens, & de Labani soceri injustitia conqverens; Genes. XXXI. 6. 7. item v. 37. 38. & seqq. *Joseph* Ægyptiis fame pressis frumenta primum justo argenti pretio, dein legitima armentorum & agrorum permutatione vendens, Genes. XLVII. 14. & seqq. *Tobias*, II. 21. *Hermes Ægyptius*, qvi nunqvam non justum pretium pro merce solvit, ac sæpe plus dedit, qvam postulatum erat, si venditor visus est bonitatem mercis non satis expendisse: *Q. Scævola*, qvi, cum postulasset, ut sibi fundus, cujus emtor erat, semel indicaretur, idqve venditor fecisset, dixit, se pluris æstimare; addiditqve centum millia. Cic. III. Offic. c. 15.

Qvid est Veracitas?

Est Virtus, qva, qvod animo sentimus, ore, gestu factisqve profitemur.

mur. *Objectum* ejus est Verum, de se, aliisqve personis & rebus, tum in communi conversatione, tum in foro ac judicio, in servandis promissis, contractibus, perhibendis testimoniis ac juramentis, ore, gestu & factis exprimendum.

[Qvoniam Vera dicimus nunc in conversatione qvotidiana, nunc in foro & judicio, testimoniis dandis &c; hinc *Veracitas* a nonnullis dividitur in *Homileticam* & *Justitiariam*. Vid. præter alios Henr. Uffelmannus Lib. de Jure, qvo Homo homini in sermone obligatur, Cap. IV. n. 7. De *Homiletica* potissimum in Opere Nicomachio egit Aristoteles, qvi eidem, præter *Jactantiam*, opponit *Dissimulationem*; cum tamen Dissimulatio sæpe prudentiam laudemqve involvat. Notum est Symbolum Friderici Ænobarbi & Sigismundi Imperatorum: *Nescit regnare, qvi nescit dissimulare*. Atqve ipse Aristoteles inter characteres Viri sui Magnanimi numerat, qvod debeat esse *Dissimulator*.]

Qvod est Officium Viri Veracis?

Vir verax in sermonibus vel voce vel

vel scripto prolatis omnem jactantiam, vanitatem & mendacia, qvam maxime detestatur; atqve hæc ipsa neqve excogitat & spargit, neqve ab aliis excogitata & prolata latius disseminat: ex adverso autem res, qvæ dicendæ sunt, & qvas salva conscientia ac prudentia dicere potest ac tenetur, privatim & publice, præsertim in judicio, prout sunt, vel sicut gestas illas novit, coram iis, qvi verum ex ipso intelligendi jus habent, fideliter enunciat; præterea in juramentis, testimoniis perhibendis, servandis promissis, contractibus & pactis conventis, veritati ac fidei summopere studet, gloriæ divinæ illustrandæ ac justitiæ promovendæ caussâ.

Qvodnam Vitium hic fugiendum?

Mentiendi libido; qva vel ex vana

na jactantia, vel dolo malo & destinata animi malitia, coram aliis, qvi jus habent verum ex nobis cognoscendi, diversa ab animi nostri sententia notitiaqve proferre solemus, eo fine, ut ipsis noceamus atqve illudamus. *Actus* vitii hujus sunt *Mendacia* injuriosa ac perniciosa, * v. g. fidei in contractibus violatio, calumniæ, falsa testimonia, perjuria &c.

[* Atqve adeo hic discrimen inter *Mendacium Perniciosum* seu proprie dictum, & *Falsiloqvium inculpatum*, probe notandum: ad qvod posterius Mendacia *Jocosa* & *Officiosa*, a Scholasticis sic dicta, referri solent. Vid. H. Grot. de J. B. & P. Lib. III. cap. I. §. XI. & seqq. Pufendorf. de J. N. & G. Lib. IV. cap. I. §. 8. & 9. B. Dürr. Institt. Eth. Part. III. Sect. II. Cap. IX. & Problem. LXXIII.]

Exempla Veracitatis.

Ipse *Christus*, Via, Veritas & Vita, Joh. XIV. 6. & coram Pilato testans veritatem, Joh. XIIX. 37. *David* Psalm.

Psalm.CXIX.163.. Antiqvi *Persæ*,qvi in mendacio ter deprehenso silentium perpetuum imponebant, & ab omnibus Politicis ac honestis negotiis talem repudiabant. *Achilles*, qvi, perhibente Homero, ut inferni portas detestatus est mendacium. *Xenocrates*, de qvo Diog. Laërtius, Lib.IV, *Tanta*, inqvit, *illius verbis fides habebatur,ut, cum injurati nullius testimonium admitteretur,huic soli remiserint Athenienses jusjurandum.* *Epaminondas* & *Atticus*;qvorum ille ne joco qvidem falsum loqvebatur; hic mendacium neqve dixit, neqve audire potuit, eo nomine vel maxime ab amicis cultus. *Romani veteres*, qvi falsum dicentes testimonium e saxo Tarpejo ejiciebant. Vid. Gellius Lib.XX. cap.I.

[Sub Veracitate etiam communiter comprehenduntur *Taciturnitas* & *Urbanitas*. *Urbanitas* vero circa ludos & jocos versans, an cum cœteris virtutibus paria faciat, non pauci ex ipsis etiam Philosophis & Theologis dubi-

dubitant. B. Gerhardus in Schola Pietatis illam præterit; & Ambrosius Lib. I. Offic. cap. 23., istam ab Ecclesia vult remotam. Atqve ea certe non cuivis homini, nec nisi tempore rariore, convenit. Nos infra, acturi de *Decoro*, qvædam de illa proferemus.]

Qvid est Taciturnitas?

Est Virtus, qvæ frenat lingvam, ac docet tacere id, qvod tacendum est. *Objectum* ejus est sermo opportune premendus, ac intra rectæ rationis limites cohibendus.

Qvod est Officium Viri Taciturni?

Tacere, cum est tacendum. Adeoqve arcana sibi concredita, atqve alia id genus silenda, qvorum nempe occultatio non adversatur gloriæ divinæ, justitiæ, proximiqve saluti, item illa, qvæ rixas & lites parere, qvæ contemtum & infamiam sibi & aliis conciliare possent, qvæqve impia

pia, blaſphema & indecora ſunt, qvorum deniqve nondum certam ſatis conſecutus eſt notitiam, prudente premit ſilentio: nec effutit temere, qvicqvid in buccam venit; ſed neceſſaria tantum, utilia ac tempeſtiva loqvitur; h.e. qvæ perſonis, loco ac tempori ſunt accommodata; & ſemper, qvantum rei qvidem & auditorum fert ratio, ſermonis brevitati ſtudet.

[A nonnullis triplex commendatur Silentium: (1) *Modeſtiæ*, qvando tacemus, cum loqvi non convenit vel ob ætatem, vel ſexum, vel ob reverentiam erga eos, qvi loqvuntur. (2) *Prudentiæ*, qvando tacemus, invidiæ, inimicitiæ, aut alterius periculi declinandi cauſſa. (3) *Neceſſitatis*, qvando arcana reticemus, & ſermonem inhibemus propter gloriam Dei, bonum publicum & datam ſilentii fidem.]

Qvæ Vitia opponuntur Taciturnitati?

(1) *Garrulitas*, vitium, qvo qvis ſecreta effutit, aut inutilia & intempeſti-

pestiva loqvitur. (2) *Nimium* & intempestivum *Silentium*, qvo tacemus, cum honeste, utiliter ac decore loqvi possimus ac debeamus.

Exempla Taciturnitatis.

David, Psalm. XXXIX, 1. 2. 10. *Abigail*, 1. Sam. XXV. 36. *Judith*, suum celans consilium, donec caput Holofernis abscissum Bethuliam reportasset; Lib. Judith. IIX. 33. *Sosia* ille Terentianus, in qvo herus semper intellexit sitas fidem & taciturnitatem; Andr. Act. I. Sc. I. *Areopagitæ*, a qvibus ortum adagium: *Areopagita taciturnior*; qvod arcana illi diligentissime continerent. *Papyrius* prætextatus, qvi qvam argute matrem secreta Senatus expiscantem deluserit, legi potest apud Gellium Lib. I. N. A. c. 23. *Carolus V.* qvi arcana sua consilia tam sancta celavit fide, ut nec vultu nec ore unqvam

prodiderit. Qvo nomine etiam *Gustavus Adolphus* Rex Sveciæ, hodiernus Gallorum Rex *Ludowicus XIV*, aliiqve commendandi.

Qvid est Gratitudo?

Est Virtus, qva præstita nobis beneficia agnoscimus, prædicamus, ac pro virili rependimus. *Objectum* ejus sunt accepta Beneficia, & Signa voluntatis ac facti, qvibus beneficiorum memoria declaratur.

[Referri potest, certo respectu, Virtus hæc ad Veracitatem & Justitiam. Per illam agnoscimus beneficia, eaqve nullo modo dissimulamus; per hanc id, qvod accepimus, compensare nitimur.]

Qvod est Officium hominis Grati?

Homo gratus benefacta sibi ab aliis hominibus, speciatim Parentibus, Dominis, Patronis & Amicis, benevole exhibita, grato agnoscit animo,

mo, eaqvejusto loco, tempore, modoqve debito prædicat; nec verbis tantû & sincero affectu pro illis gratias Evergetis suis agit habetq;, sed & opere & facto, si adsit facultas, eadem rependere, gratiamqve omni officio ac studio referre annititur: si vero referendi facultas desit, Deum rogat, ut beneficia sibi præstita benefactoribus tum in hac tum in futura vita cumulate compenset.

Qvodnam Vitium opponitur Gratitudini?

Ingratitudo Gr. Ἀχαριστία, qvando accepta beneficia non agnoscimus, nec prædicamus, nec referimus. Est vitium hoc turpissimum, nec homini ingrato tantum, sed & aliis miseris, qvam maxime nocens.

[*Nimia Gratitudo* vel non datur facile; vel si datur, non est adeo vituperanda: dum Cicero nos in referenda gratia imitari vult *agros fertiles, plus multo afferentes, quam acce-*

runt; & Hesiodus majore mensura, si modo possis, reddere jubet.]

Exempla Gratitudinis.

Tobias senior ac junior, gratum testati animum erga fidum in itinere comitem; Tob. XII. 1.2. seqq. *Paulus* gratus erga Philippenses, Philipp. IV. 15. & seqq. erga Onesiphorum hujusqve familiam, 2. Timoth. I. 16. seqq. *Alexander M.* erga Præceptorem Aristotelem, dum non tantum regie illum remuneravit, collatis ipsi in solam Animalium historiam talentis octoginta, sed & plus Philosopho huic, qvam patri Philippo, se debere professus est. *Diogenes*, qvi, cum pecuniam ab amico Carisio acceptam refundere non posset, bene ipsi precatus est his verbis: *Dii, qvi pia facta vident, dent tibi longe meliora & præstantiora, qvam fuerunt, quæ in me collata sunt!* Exemplorum

rum nubem eorum, qvi grati fuerunt in Patriam, Parentes & alios, exhibebit Valerius Max. Lib. V. cap. 2.4.& 6.

[Nunc seqvuntur Virtutes, docentes præstare ea, qvæ aliis ex lege *Charitatis* debentur.]

Qvid est Liberalitas?

Est Virtus, qva opes atqve operas nostras cum aliis benigne, ut oportet, communicamus. *Objectum* ejus sunt non tantum Pecuniæ, sed res omnes, qvarum pretium numo æstimari solet; qvo etiam referenda sunt Bona Animi cum aliis benigne communicanda, ut Consilium, Informatio &c.

Qvod est Officium Viri Liberalis?

Cum, secundum Poëtam, res sit ingeniosa dare, multasqve habeat cautiones, Vir liberalis diligentem

gerit curam obſervandarum circumſtantiarum, *Perſonæ*, tum accipientis tum dantis; item *Qvantitatis*, *Qvalitatis*, *Temporis*, *Loci & Finis*. Dat proinde dignis, ac præcipue domeſticis fidei, qvandoq; etiam extraneis ac indignis, ut hominibus & egenis; dat, qvantum indigentia accipientis efflagitat, & ratio facultatum ſuarum permittit; dat cum judicio animoqve hilari; dat citò ac in tempore; non ad oſtentationem laudemqve propriam, aut lucrum, ſed ad illuſtrandam Dei gloriam, & promovendam proximi ſalutem.

Qvæ Vitia Liberalitati opponuntur?

(1) *Prodigentia* ſeu Prodigalitas, vitium, qvo pecunias & beneficia noſtra projicimus magis qvam damus, nullo habito ſelectu aut ratione circumſtantiarum modo dictarum.

rum. (2) *Illiberalitas*, Gr. Ἀνελευθερία, vitium proprie consistens in nihil aut parum dando, seu commodando aliis de bonis nostris.

Gradus eminens Liberalitatis vocatur *Magnificentia*, virtus in magnis sumtibus & largitionibus occupata, sed nisi magnæ ejusmodi largitiones fiant in res honestas & utiles, v.g. in veræ religionis & bonarum artium incrementa, in pauperum subsidium & similia, vituperium potius qvam laudem merentur.

Exempla Liberalitatis.

Hiob, de se testans, qvod pater fuerit pauperum; cap. XXIX. 16. *Cornelius*, centurio religiosus, multasqve plebi eleemosynas erogans, Act. X. 2. *Ptolemaus Philadelphus*, & *Ptolemaus* filius, Reges Ægyptiorum, qvorum ille summa cum voluptate amicos suos ditavit; hic vero

adeo beneficus fuit in omnes, ut *Evergeta* inde sit cognominatus. *Cimon* Atheniensis, de qvo vid. Corn. Nepos. cap. IV. n. 1. 2. *Gillias* Agrigentinus, de qvo consulatur Valerius Max. Lib. IV. cap. 8; ubi plura Exempla huc pertinentia reperiuntur. *Magnificentiæ* laudem sibi acqvisiverunt *Salomo*, qvi templum exstruxit magnificentissimum; *Augustus*, qvi Romam accepit lateritiam, marmoream reliqvit. *Constantinus*, *Carolus*, *Otto*, cognomen *Magni* promeriti, non minus sacrarum impensarum, qvam bellicorum facinorum splendore.

Qvid est Hospitalitas?

Est Virtus in hospitibus excipiendis, tractandis & dimittendis, modum ac decorum observans. *Objectum* ejus sunt Hospites rite excipiendi, tractandi ac dimittendi.

Qvod est Officium Viri Hospitalis?

Vir hospitalis, peregrinos & hospites, notos ac ignotos, maxime tamen cognatos & fidei suæ consortes, pia benevolentia omnibusqve hospitalibus officiis complectitur; eos nimirum reverenter & hilariter in ædes suas recipiendo, ratione cibi, potus, aliarumqve commoditatum, comiter ac liberaliter, prout facultates suæ ferunt, tractando, deniqve, qvando velint, amice & benigne eos dimittendo.

Hospitis vero, sive ejus, qvi hospitio excipitur, officia sunt: (1) Venire in tempore; (2) Esse moderatum, non garrulum, non curiosum. (3) Boni consulere, qvæ exhibita fuerint. (4) Fugere voracitatem, ebrietatem, aliosqve mores rusticos & ineptos. (5) Mature discedere. Etenim *post tres sæpe dies vilescit piscis & hospes.*

Qvænam sunt Hospitalitatis Opposita?

Πολυξενία & Αξενία. *Illa* est vitium in recipiendis & tractandis hospitibus modum excedens; qvando nimio Hospitalitatis studio limites excedimus Honestatis, Frugalitatis & Prudentiæ. * *Hæc* (*Inhospitalitas*), est, qvando advenæ hospitio prohibentur; vel admissi male tractantur, aut trucidantur. **

* Vid. Siracid. XI. 31. & Qvæst. Berneggeri CXXV. in Germ. Tacit.

** Ita peccarunt *Sodomitæ*, Genes. XIX. 4. & seqq. *Ægyptii*, Sap. XIX. 12. 13. *Taurici*, qvi hospites Dianæ immolarunt.

Exempla Hospitalitatis.

Abraham, Genes. XVIIII. & seqq. *Martha* & *Maria*, Luc. X. 38. *Lydia*, Act. XVI. 15. *Christiani veteres*, qvorum multi *voverunt domum*

suam

suam esse hospitalem omnibus sanctis advenientibus; qvæ sunt verba Augustini in Psalm. 75. *Prisci Germani*, majores nostri; de qvibus Tacitus in Germ. c. 21: *Convictibus & hospitiis non alia gens fusius indulget. Quemcunqve mortalium arcere tecto, nefas habetur* &c. Add. Jul. Cæsar Lib. V. 1. de B. G. c. 23. *Cydon* Corinthius, adeo fuit hospitalis, ut proverbio locum fecerit: *Semper aliqvis in Cydonis domo.* De *Cimonis* Atheniensis hospitalitate vid. Cic. 1 I Off. c. 18. & Corn. Nep. in Vit. c. 4.

Qvid est Humanitas?

Est Virtus, per qvam homo in compellando & audiendo facilem & affabilem se præbet, cumqve aliis placide & sine offensione conversatur. Objectum ejus sunt Dicta & Facta, qvibus in conversatione aliis placere ac displicere possumus.

Qvod est Officium Viri Humani?

Vir humanus erga notos & ignotos, in congressibus, colloqviis & aliis vitæ actionibus, svavem, amabilem & accessu facilem se præbet, vultum non austerum, sed serenum ac permixta gravitate comem exhibet; libenter alios salutat, & cuilibet pro sua ætate, statu, dignitate, decentem tribuit honorem & amorem; moribus agrestibus nemini est molestus, nec voce contentiosa pertinaciter sua defendit, sed aliis, ubi honeste licet, cedit facile: si vero videat eorum, qvibuscum conversatur, dicta aut facta in DEUM vel bonos mores peccare, comiter illos monet, imò reprehendit; sic tamen ut reprehensionis asperitatem, verborum lenitate emolliat.

Qua

Quæ Vitia Virtuti huic opponuntur?

(1) *Assentatio*, vitium, qvo præter modum ac rationem honestatis, in omnibus dictis & factis nostris placere studemus iis, qvibuscum versamur: qvod qvi faciunt spe offæ aut lucelli, dicuntur κόλακες, parasiti, gnathones. (2) *Inhumanitas* sive Morositas, cum aditu difficiles, vultu tetrici, voce contentiosi, nihil pensi habemus, ut in conversando simus jucundi.

Exempla Humanitatis.

Salvator noster φιλάνθρωπος, Psal. XLV. 3. Es. XLII. 2. seqq. *Jonathan*, qvi a Davide amabilis & decorus valde in vita sua dicitur, 2. Sam. I. 23. *Titus Vespasianus*, qvi neminem a vultu suo tristem discedere passus, & ob summam humanitatem, *Amor ac*

deliciæ generis humani appellatus est. *Atticus*, de qvo Corn. Nepos in Vit. *Ejus comitas*, inqvit, *non sine severitate erat, neqve gravitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur, qvam amarent.* cap. 15. De *Agricola* socero suo Tacitus: *Nec illi, qvod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem, aut severitas amorem diminuit.* Vit. cap. 9. Qvo etiam elogio mactat *Bilibaldum Pirckheimerum* Ritterhusius in Vit. cap. 15.

Qvid est Mansvetudo?

Est Virtus, qvæ iram moderatur. *Objectum* ejus Ira, & omnia, qvæ iram excitare solent, ut Injuriæ, damna, offensiones, contemtus nostri nostrorumqve &c.

Qvodnam est Officium Viri Mansveti?

Iram convenienter & adductiore freno

freno moderari, ne peccet, & in furorem ultionemve illicitam erumpat. Vir itaqve mansvetus non irascitur Deo, non magistratui, parentibus, doctoribus, suum facientibus officiũ & vitia reprehendentib⁹; sed illorum præcepta patienter capessit: nec irascitur temere ac leves ob caussas, nec justo diutius, & ut solem patiatur occidere super iram suam; nec tam improbis hominibus ipsis, qvam horum vitiis, ita ut illos potius dextre informet, placideqve corripiat. Deniqve iram aut indignationem, juste licet conceptam, facile remittit ac deponit, præsertim si alterum delicti pœniteat, & culpam is deprecetur.

Qvodnam Vitium Mansvetudini opponitur?

Iracundia, cum iræ plus, qvam par est, indulgemus; unde odia, injuriæ, homicidia, & malorum lerna.

[In defectu Mansvetudini ab Aristotele etiam opponitur *Ἀοργησία, Ira Vacuitas.* Sed an hæc vitium sit, dubitant cordatiores. Qvo enim longius ira abest ab actionibus & consiliis nostris, eo melius ista conficiuntur. *Impedit ira animum, ne possit cernere verum.* Add. Senec Lib. I. de Ira c. ult. Ac Cicero optat, ut, qvi Reip. præsunt, legum similes sint, qvæ ad puniendum non ira, sed æqvitate ducuntur. I. Offic. c. 25. versus fin.]

Exempla Mansvetudinis.

Moses, qvi vir mitissimus prædicatur super omnes homines in terra; Num XII. 3. *David*, maledicta & lapides Simei miti excipiens animo, 2. Sam. XVI. 10. *Christus*, qvi mansuetus & humilis corde dicitur Matth. XI. 29. *Cyrus* & *Agesilaus*, qvorum tanta mansvetudo & clementia prædicatur a Xenophonte & aliis, ut in summo imperio non modo nihil sævum & crudele fecerint, sed etiam ne verbum quidem asperius protulerint. *Pericles*, qvi cum lychno domum deduci eum jussit, a qvo per totum

totum diem in foro conviciis proſciſſus erat. *Socratis* etiam & *Phocionis* manſvetudo in vulgus nota. E Cæſaribus heic laudandi *Auguſtus*, *M. Antoninus* Philoſophus; ex Auſtriacis pleriqve omnes, imprimis divi *Ferdinandi* tres, & *Leopoldus* noſter auguſtiſſimus.

Qvid eſt Miſericordia?

Eſt Virtus, qva fortunam aliorum adverſam lugemus, eamqve benevolentia & ope noſtra, qvantum poſſumus, relevamus. *Objectum* ejus ſunt Mala aliorum graviora & fortuna adverſa, eaqve benevolentia noſtra ac ope vel arcenda vel ſublevanda.

Qvod eſt Officium Viri Miſericordis?

Vir miſericors hominum miſerorum ac pauperum h. e. in afflictione,

one, morbo, exilio, errore gravi aut egestate constitutorum, conditione & calamitate facile commovetur, eorum sortem adversam luget, eandemqve consilio & auxilio suo arcere vel sublevare saltem annititur; adeoqve pia consolatione & opera afflictos erigit, oppressorum caussam tuetur; iis, qvibus jure nocere posset, parcit; ægrotis, mutilis, senio confectis, exulibus, aliisqve miseris & egenis, pro virili, facultatibus suis, vestibus aut medicamentis succurrit, errantes in viam reducit: vel, si hæc ipsa fortassis efficere non potest, apud alios pro illis intercedit, & iis, qvocunqve modo potest, opitulatur.

[Numeratur *Misericordia* a qvibusdam inter *Affectus*: Sed nobis hic non est tam affectus, qvam miserationis effectus, & habitus educatione & usu confirmatus, qvo; ad præscriptum rectæ rationis; præstamus id, qvod Misericordia præstare jubet. Cicero pro Ligario: *Nulla de Virtutibus admirabilior nec gratior Misericordia. Homines enim ad Deos, nulla re propius accedunt, qvam salutem*

tim hominibus dando. Nihil habet Fortuna magis, qvam ut possis, nihil habet Natura melius, qvam ut velis servare.]

Qvæ sunt Opposita?

(1) *Immisericordia*, vitium, qvo alienis malis non tristamur, neqve commovemur ad juvandum; qvod fit, cum qvis vel non parcit, ubi parcendum esset, sed acerbius in alterum consulit; vel, cum alterum afflictum videt, ei non succurrit. (2) *Nimia Mollities*, qvando miseremur ac parcimus, ubi non est opus.*

[* Id qvod sæpe tam publice qvam privatim est noxium. Notum illud Catonis: *Ista vobis mansvetudo & misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam vertet!* Sallust. Bell. Catil. c. 52.

Exempla Misericordiæ.

Christus, ac DEVS ejusdem *Pater*. Luc. VI. 36. Marc. IIX. 2. *Pharaonis filia*, miserta Mosis pusionis Exod. II. 6. seqq. *Samaritanus* ille Luc. X. 33. seqq.

seqq. *Dido*, cujus effatum est apud Virgilium I. Æneid. *Non ignara mali miseris succurrere disco.* *Cyrus*, Crœsi jam rogo impositi suamqve infelicitatem deplorantis, misertus. *Aristoteles*, qvi cum reprehenderetur, qvod homini neqvam eleemosynam dedisset; respondit: Non mores, sed hominem miseratus sum.

Qvid est Amicitia?

Est Virtus * consistens in reciproca & efficaci hominum duorum vel paucorum benevolentia, ex mutuo consensu ac virtutis similitudine ** orta & confirmata, ad honesta qvævis officia rectius ac facilius obeunda, consilia item & auxilia in rebus secundis & adversis fideliter præstanda. *Objectum* sunt viri boni, iiqve pauci, ac horum bona & commoda promtis officiis, consiliis & auxiliis, mutuo procuranda.

[* Heor.

[* Henr Morus in Enchir. Ethico Lib. II. c. 8. §. 14. scribit: *Vera Amicitia nihil sanctius est, nihil divinius, qvæ & ipsa Virtus est, (non minus qvam Humanitas vel Hospitalitas) soloscqve inter eos reperitur, qvi reliqvis virtutibus sunt præditi.* Et B. Gerhardus in Schola Pietatis Lib. IV. c. 17. eam inter Virtutes ex Charitate profluentes numerat.

** Intelligimus itaqve hic Amicitiam Veram & Honestam, qvæ est inter viros bonos ac virtute similes.]

Qvod est Officium Viri Amici?

Amicus verus non impiorum congressus, non prava sectatur sodalitia, sed paucorum bonorum, qvorum mores ac fidem prudenter prius exploraverat, familiaritate delectatur, eamqve blanda voluntatis consensione, perseverante amoris fervore, dulci morum svavitate, in tegendis secretis taciturnitate, fide, candore, ac promta officiorum vicissitudine, alit, conservat; amicorum

rum dicta & facta meliorem in partem interpretatur, lætis in rebus cum iis lætatur, in adversis tristatur; in his illos non deserit, sed omni opera ac studio juvat, peccantes corrigit, nec amicitiæ vinculum dissolvit, nisi alter a Virtute ad insanabilem improbitatem desciverit.

Quæ sunt Amicitiæ Opposita?

Ἀφιλία, *Inimicitia*; & Πολυφιλία, qva laborasse dicitur Scipio Africanus, qvi non facile a foro discessit, qvam amicum sibi comparasset. Notandum hic istud sapientum monitum: *Nec sis multorum, nec sis nullius amicus!*

Exempla Veræ Amicitiæ?

Jonathan & *David*; *Gregorius* Nazianzenus & *Basilius*; *Pylades* & *Orestes*; *Alexander* & *Hephæstion*; *Æneas* & *Achates* apud Virgilium; *Damon*

Damon & *Pythias*, *Scipio* & *Lælius*, *Cicero* & Pomponius *Atticus*. Vid. Cic. Epiſtolæ ad Attic. & Lib. III. Offic. c. 10. Idem paſſim in Lælio ſeu Lib. de Amicitia; Valerius Max. Lib. IV. c. 7. aliiqve.

Amicitiæ ſive filia ſive adjunctum eſt *Concordia*, per qvam homo tranqville & concorditer cum aliis vivere promtus eſt. Huic inprimis dent operam *Conjuges*, qvi uti ſunt una caro, ita ſint anima una; item *Fratres* ac *Sorores*; *Cognati* & *Affines*; *Vicini*, *Amici*, *Collegæ*; *Imperantes* etiam ac *parentes*, ipſiqve *Cives* inter ſe: eſt enim Concordia maximum civitatis ornamentum atqve præſidium. Opponitur Concordiæ *Discordia*, ac *turpis* etiam inter malos *Concordia*, qvalis e. g. eſt inter latrones.

[Hactenus de Virtutum Natura & Officiis: nunc, qvia Virtutis laus omnis in actione consistit, dispiciendum, qvomodo actiones vitæ dirigi, suisqve temporibus dispensari oporteat. Qvod ipsum *Prudentiæ* negotium est. Unde hæc *Virtutum moderatrix*, & a Cic. Lib. V. de Fin. *Ars vitæ* appellatur.]

Qvid est Prudentia?

Est Virtutum qvasi anima & rectrix, qvæ bona a malis, utilia a noxiis discernit, expetenda & fugienda præscribit, totamq; vitam moderatur. Vel, secundum nonnullos, brevius: Est habitus agendi ea, qvæ homini bona sunt ac salutaria. *Objectum* ejus sunt τὰ πρακτὰ, h. e. omnia ea, qvæ homini ad bene & circumspecte agendum & vivendum sunt necessaria.

Qvod est Officium Prudentiæ?

Officium Prudentiæ in eo consistit, ut qvis possit sibi & aliis bene ac utiliter in rebus agendis prospicere atqve

atque consulere. Hoc ut rite præstet Vir Prudens, debet (1) Universalia Vitæ recte instituendæ præcepta, atqve adeo verum vitæ finem, nosse. (2) Vero fine cognito & constituto, media recta, ad illum conseqvendum utilia, reperire ac dirigere. (3) In agendo, circumstantiis Personæ, Objecti, Finis, Modi, Temporis & Loci, se accommodare. (4) Inter duo plurave bona aut mala delectum recte instituere. (5) Præterita recordari, præsentia ordinare, futura prævidere. (6) Consilia salutaria invenire, inventa regere, atqve, ubi opus, celeriter exeqvi.

Qvæ sunt Media ad comparandam Prudentiam necessaria?

(1) Naturalis ingenii & judicii perspicacia ac solertia, qva ea, qvæ ad scopum propositum pertinent, acute

acute cernuntur, & celeriter investigantur. (2) Doctrina, imprimis Studium Ethices, Politices & Historiarum. (3) Peregrinatio & Conversatio cum Viris Prudentibus. (4) Assidua in rebus agendis Exercitatio & Experientia; qvæ maximum ad comparandam Prudentiam robur habet.

Qvomodo dividi solet Prudentia?

In Privatam & Communem.

Qvænam dicitur Prudentia Privata?

Qva qvis sibi suisqve commodis recte prospicit.

Hæc ad Ethicen proprie pertinet, ac seqventes præscribit regulas: (1) Certum deligere vitæ genus; (2) In eo vitæ genere actiones omnes ad Virtutis normam, ex præscripto legum, componere. (3) Nil temere aggre-

aggredi; nec subire onus, cui non sis ferendo. (4) Res earumqve pretia probe perpendere. (5) Tempus & occasionem captare, (6) Non temere credere, nec cuivis fidere. (7) Alienis negotiis haud facile se immiscere. (8) Caute, ubi opus, simulare ac dissimulare &c.

Qvænam dicitur Prudentia Communis?

Qva consulimus & prospicimus, qvæ sunt bona & utilia aliis.

Dividitur hæc in *Oeconomicam*, qva qvis familiæ, & *Politicam*, qva qvis Reipubl. totique civitati circumspecte consulit & prodest. *Politicæ* species tres constituuntur: (1) *Legislatoria*, qvæ leges condit, formamqve gubernandi præscribit. (2) *Consultatrix* sive Senatoria, qvæ de futuris Reip. negotiis deliberat. (3) *Judiciaria*, qvę de præteritis judicat,

& jus dicit. His addi poteſt Prudentia *Militaris*; de qva, & reliqvis tribus, agitur in Politica & Jurisprudentia.

Qvæ ſunt Oppoſita Prudentiæ?

Privative opponitur *Imprudentia*, qva res aggredimur ſine ulla deliberatione, nullisqve conſideratis circumſtantiis. Contrarie opponitur *Calliditas* ſeu *Verſutia*, qva ſub ſpecie juſti rectiqve alios fallimus.

[Notetur hic, qvod nemo ſit vere prudens, niſi idem ſit vir bonus; qvi vero bonus non eſt, & habitu tamen bene agendi præditus videtur, *Aſtutus* potius & *Callidus* dicendus, qvam *Prudens*.]

Exempla Prudentiæ.

Joſeph, Pharaoni conſulens de futura annonæ ubertate & caritate; Geneſ. XLI. *Jethro*, Moſis ſocer, videns difficile hujus regimen, conſilio ipſum juvans ac ſvadens, ut viros proba-

probatæ fidei ac pietatis eligat, & ad hos partem gubernationis devolvat; Exod XVIII. *Themistocles*, qvi celeriter, qvæ opus erant, reperiebat; neqve minus in rebus gerendis qvam excogitandis promtus. Corn. Nep. Vit. c. I. *Cato* major, prudentia Oeconomica, circa educationem liberorum & rei familiaris curam, excellens. *Moses* Israëlitarum, *Solon* Atheniensium, *Lycurgus* Lacedæmoniorum legislatores. *Salomo* prudenter judicans ex amoris affectu, de genuina pusionis dissecandi matre. 1. Regum III; ac cæteroqvin etiam sapientissime imperans. E rebus publicis integris, hodieqve florentibus, Prudentiæ laudem merito sibi vindicat Serenissima Resp. *Veneta*, hujusqve æmula illustris *Noribergensis*; cujus insigne qvondam ornamentum, Antonius Tucherus, a Friderico III. Imp. urbem ingresso, & effusam

populi multitudinem mirante, interrogatus, Qvo ingenio & arte tanta multitudo sine tumultu & seditione regi & contineri possit? respondit *Placidis verbis, & gravibus pœnis.*

[Ad Ἀρετολογίαν, & doctrinam de Prudentia, pertinet qvoqve, coronidis loco, doctrina de *Decoro.*]

Qvid est Decorum?

Decorum est externi totius corporis habitus, motus, vestitus, sermonis etiam & gestuum in conversatione, ad munditiem & decentem elegantiam conformatio, pro diverso hominum statu, tempore ac loco, varians.

[*Decorum* Gr. dicitur τὸ πρέπον, ἀπὸ τῦ πρέπειν *decere*; & hoc a περιέπειν, *observare*, cum cura prosequi. Doctrina hæc in plerisqve Ethicis omittitur, sed male. Fusius illam pertractat Cicero Lib. I. Offic. versus fin. Theophrastus in Characteribus Ethicis, Jo. Casa in Galateo, Erasmus in libello de Civilitate morum, aliiqve. Fr. Bac.

de Verulamio Serm. fidel. LIIX, *In Viro ci-vili, ait, Converſatio ejusqve regimen (utcunqve in exterioribus occupetur) ſi non ſummum, at certe eximium locum invenit.*]

Qvomodo differt Decorum ab Honeſto?

Reſpondet Cicero, * id dictu difficile eſſe, & facilius intelligi, qvam explanari poſſe. Decori enim ea vis eſt, ut ab Honeſto non qveat ſeparari. Nam qvod decet, honeſtum eſt; & qvod honeſtum eſt, decet.

[* Lib. I. Offic. c. 27. Edit. Græv. Ibidemqve addit: *Vt venuſtas & pulchritudo corporis ſecerni non poteſt a valetudine: ſic decorum totum qvidem eſt cum virtute confuſum, ſed mente & cogitatione diſtingvitur.*]

Explica mihi tamen, qvantum fieri poteſt, Differentiam Honeſti & Decori?

(1) Differt Decorum ab Honeſto, ut neceſſarium conſeqvens, non tam tempore, qvam noſtro conci-

piendi modo. (2.) Qvæ Honestatis sunt, magis videntur recondita; qvæ Decori, in omnium oculos ac sensum incurrunt. (3) Honestum ipsam essentiam hominis rationalem ac socialem afficit; Decorum tantùm ad illius bene esse facit, qvatenus singularem homini in vita civili addit commendationem. Adeoqve (4) qvæ ad Honestatem spectant, homini necessariò sunt observanda, nisi pro malo ac scelerato haberi velit: Decorum arbitrarium fere est, nec ejus intermissione viri mali nota cuidam inuri solet; sed hominis tantum incivilis ac morosi. (5) Qvid Honestum sit, apodicticis rationibus ostendi potest; Decorum fere non nisi opinione hominum nititur.

Qvæ

Qvas ergo regulas præscribit Decorum, ratione Corporis, hujusqve Compositionis & Motus?

Corpus æqvo libramine sit erectum. *Caput* valde ac sæpe nimis non est qvatiendum, ne videaris rigidi Catonis instar omnia improbare. Impexo esse capite, rusticanum est.

Vultus tuus sit tranqvillus, mundus, serenus. *Frons* non torva & in rugas contracta; sed exporrecta, mentem sibi bene conſciam & ingenium liberale præ se ferens.

Oculi sint placidi ac verecundi; non vagi ac volubiles, qvod est hominum lascivorum; non limi, qvod suspiciosorum & insidias molientium; non immodice diducti, qvod est stolidorum; non torvi, qvi sunt signum truculentiæ. *Supercilia* non

ſint nimis hirſuta, nec in altum ſublata, qvalia ſpirant arrogantiam.

Nares non ſint diductæ, aut clare ſpirantes; non ſtillantes ac ſordidæ, ſed purgentur ſedulo, non tamen veſte aut digito, ſed ſtrophiolo. Criſpare *naſum*, irriſorum eſt & ſannionum.

Genæ pictæ ſunto verecundia & colore nativo, non fuco aut ceruſſâ. Inflare *buccas*, faſtus indicium eſt; easdem dimittere, hominis animum deſpondentis.

Os non fœteat; nec hiet, qvod eſt morionum: ſed leniter oſculantibus ſe invicem labris conjunctum ſit. Mordere *labra*, iratorum eſt; porrecta *lingva* alterum deridere, ſcurrile. Careant rubigine *dentes*; oraqve ſuſcepta mane laventur aqva. Ovid.

Cervix non ſit erecta nimis & rigida, neqve tamen in terram depreſſa;

preſſà; neve in dextrum aut lævum vergat latus: hypocriticum enim eſt, niſi colloqvium aut aliud ſimile id poſtulet.

Humeri pari libramine ſunt temperandi, non contrahendi, non demittendi; neqve brachia in tergum retorqvenda, cum id ſapiat dominium.

Manus puræ ſunto ac diligenter lotæ; *ungves* ſecti ac purgati.

Membra, qvæ natura ipſa contexit atqve abdidit, honeſte ſunt velanda, non diſpicienda, aut inciviliter tangenda; qvod Judæi ſtricte ſolent obſervare.

Genibus non divaricatis, ſed modice diductis, ſedeas, neqve *pedibus* formam crucis repræſentes. Dextro pede in femur ſiniſtrum injecto ſedere, Regum veterum mos erat, ſed hodie improbatus. Ludere pedibus in ſella, puerile.

Eundo non nimis festines; nec tamen lente nimis, ac, ut proverbium habet, Junonium ingrediaris. * Non attrahendi pedes, nec summis eorum digitis incedendum.

[* Cic. l. Offic. cap. 36: *Cavendum est, ne aut tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur: aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates; qva cum fiunt, anhelitus movetur, vultus mutantur, ora torqventur: ex qvibus magna significatio fit, non adesse constantiam.*

Qvæ de Cultu ac Vestitu hic notanda?

Qvoniam certus modus hic præscribi non potest, eò qvod non omnium par est fortuna vel dignitas, magna etiam nationum diversitas ac temporum vicissitudo; ea propter generatim monendum, ut Decori studiosus decentem amet *vestimentorum* elegantiam, ita, ut neq; supra dignitatem & facultatem sint splen-

ſplendida, neqve etiam ſordida, attrita, lutulenta. In Cultu præterea corporis, morem civium & popularium ſuorum qvisqve imitetur, niſi velit ſe publicis omnium moribus opponere; qvod ſeni qvidem magis, qvam juvenibus ignoſci ſolet. Deniqve & Luctus, Feſtivitatum & Tempeſtatis, (æſtivæ puta vel hybernæ) rationem habeat.

Qvæ de Sermone obſervanda?

Sermo ſit lenis ac ſedatus, non clamoſus, qvalis eſt agricolarum, nec adeo preſſus, ut ad aures ejus, cui loqveris, haud perveniat. Non ſit præceps ac mentem præcurrens, ſed articulatus & explanatus. Abſint juramenta minus neceſſaria, blaſphemiæ, mendacia, aniles, impiæ atqve obſcœnæ nugæ. Narrantes aliqvid ne interpellemus, donec ſermonem abſolverint; nec verba loqventibus commodemus.

Qvæ de Urbanitate ac Jocis hic speciatim notanda?

Joci sunto rari, nec nisi tempore læto ac facili Minerva prolati; nec sint obscœni aut maledici, sed ingeniosi ac liberales, hoc est, libero homine digni. Idem monent, qvi duplicem ajunt esse salem, *Mercurii* & *Momi*: illum vocant facetias elegantes & argutas; hunc vero jocos mordaces, molestos ac turpes. Adhæc cum superioribus jocandum est caute, cum inferioribus parce, cum æqvalibus libere, modeste tamen, ne insultare iis videamur.

Qvæ de Gestibus addenda?

Gestus sint sermoni ac personæ accommodati; qva in parte oculi & manus præcipuum sustinent officium. Verum hæc, uti cætera omnia, citra odiosam affectationē. *Oscitatione*, qvantum licet, abstinendum.

Im-

Improbatur qvoqve *cachinnus* effusus, nec non Sardonius. Viri senio vel religione venerandi, aut honore alioqvi digni, reverenter salutandi. Feminis etiam honestis ac nobilibus honor deferendus, ac prærogativa præ viris concedenda.

[Plura ejusmodi præcepta vid. in Erasmi libello de Civil. Mor. Christiani Weisii Ethica Germ. Cap. ult. de Decoro; & Dissert. mea de Civilitate morum, in Theatr. Virt. ab Ariſtotele omiſſ. p. 104. & seqq.]

Decoro qvid opponitur?

Indecorum * seu Morum Incivilitas, per qvam homo in externo corporis habitu, motu, sermone & gestu ineleganter se gerit, & jam commemoratis in rebus decorum negligit.

[* Characterem ejus sraviter depingit Theophrastus in Charact. Eth. Cap. XII. & XX. *Incivilitatis* rei sunt *Cato*, qvi in publicum sæpe sine calceis prodibat. Vid. Horat. Lib. I. Epist. 13. v. 12, & seqq. *Patrocles*, qvi se per vitam omnem non l. visse dicitur.]

Exempla eorum, qvi Decoro & Civilitati studuerunt.

Jonathan, qvi a Davide prædicatur *decorus valde in vita sua, & amabilis super amorem mulierum*, 2. Sam. I. 23. 26. *Aristippus*, cui Plato dixit: Tibi uni & chlamydem & pannum ferre datum est! Ac Horatius de eodem: *Omnis Aristippum decuit color, & status, & res*. Lib. I. Epist. 17. *Alcibiades*, de qvo Corn. Nepos, *Idem*, inqvit, *cum tempus posceret, laboriosus, patiens, liberalis, splendidus, non minus in victu qvam vita, affabilis, blandus, temporibus callidissime inserviens*; cap. I. De hodierna Civilitatis Schola *Gallia*, ejusqve *incolis politioribus*. Barclajus in Icone Animorum scribit: *Nullis mortalibus indoles ad speciem virilis elegantiæ magis facta. Oris intrepidi habitus motusqve, & gestus, qvi totum corpus decent* &c. cap. III. Ac de *Poliarcho*

liarcho suo idem scribit in Argenide: *Eminet oris decor, & amœna gratia genius; cujus virtute omnes ipsius motus, omnes nutus placent.* Lib. I.

[Erasmus de Civil. Mor. puer. p.m. 5: *Non inficior, hanc esse crassissimam Philosophiæ partem: sed ea, ut sunt hodie mortalium judicia, plurimum conducit & ad conciliandam benevolentiam, & ad præclaras illas animi dotes oculis hominum commendandas.* Et b. Jac. Thomasius in Not. ad Philos. Pract. Tab. XIII. p. 17: *Homiletica Virtutes* (Humanitas imprimis & Vrbanitas) *comparatione Justitiæ, & similium virtutum majoris momenti, sunt exiles, quia vitia iis contraria, modo non conjuncta sint cum vitiis gravioris subsellii, non reddunt hominem statim politice malum seu improbum, pœnæque civili obnoxium. Nam neque leges civiles solent de Virtutibus homileticis præcipere; sed hoc munus est alterius doctrinæ, quæ dat præcepta de Civilitate morum. Hæc præcepta si quis violat, non improbus statim aut nequam vocatur, sed incivilis, aut barbaro vocabulo* Grobianus.]

PARS

PARS POSTERIOR de EVDÆMONOLOGIA sive PRÆMIIS VIRTVTIS, in qvibus consistit Hominis Felicitas.

ARetologiam, hoc est, Doctrinam de Virtutibus seu Recta Vita, excipit *Evdæmonologia*, hoc est, Doctrina de *Virtutum Præmiis*, qvæ constituunt Beatam hominis Vitam seu Felicitatem.

Qvænam verior est Sententia de hominis Summo Bono ac Felicitate?

Omnes Philosophi cordatiores in eo consentiunt, qvod *Summum* hominis *Bonum* debeat esse homini proprium & ab eodem impetrabile; per

per ſe, nec propter aliud, expetendum; conſtans & immutabile; ſibi aliisqve ſufficiens; optimum, perfectiſſimum, jucundiſſimum &c. Qvæ ſane conditiones in nullum aliud Bonum cadunt, qvam in ſolum DEVM; utpote qvi eſt ipſum Bonum, *ἀυταγαθὸν*, Bonum ſummum ac perfectiſſimum, ſempiternum, per ac propter ſe appetendum, ſibi aliisqve ſufficiens, & qvod indigentiam noſtram prorſus explere, noſtrumqve appetitum plene ac plane ſatiare poteſt.

¶ Non igitur Summum hominis Bonum qværendum eſt in *Voluptate Corporis, Divitiis, Honoribus* &c. utpote bonis fragilibus, inconſtantibus, imperfectis, ſibi & aliis minime ſufficientibus. Nec in *Virtute*; nam præſtantius omni Virtute Bonum DEVS eſt; fatente ipſo Ariſtotele 1. M M. c. 5. Dein *Virtus* non expetitur propter ſe, ſed propter aliud; nempe propter Vitam Beatam conſeqvendam. Id qvod recte obſervat Lactantius Lib. III. Inſtit. cap. 12. ſcribens: *Stoici negant, ſine Virtute effici qvenqvam Beatum poſſe. Ergo Virtutis præmium*

Bea-

Beata Vita est, si Virtus (ut recte dictum) beatam Vitam facit, Non est igitur, ut ajunt, propter se ipsam Virtus expetenda, sed propter Vitam Beatam, qva Virtutem necessario seqvitur. Ipse Cicero V. Tusc. Qvæst. diserte docet, qvod Vita beata Virtute coaficiatur: & Arrianus ad Epictetum cap. IV, qvod Virtutis finis & effectus sit Felicitas. Conf. qvæ supra dicta sunt de Caussa Finali Virtutum.

Qvod Summum hominis Bonum collocandum sit in DEO, docent qvoqve Phil. Mornæus de Verit. Relig. Christ. cap. 19, El. Schedius de Diis Germ. Syngramm. I. c. 2. Vinc. Placcius in Comment. ad Verulam. Lib. VII. de Augm. Scient. Mor. p. 236. & seqq. Heerebord Colleg. Eth. Disp. III. & IV. Hamelius Philos. Mor. Tract. I. Disp. I. & aliiqve.]

Qvænam est differentia inter Summum Bonum ac Felicitatem hominis?

Summum Bonum est res, qvæ nos beat, totqve ac tantas habet perfectiones, ut sui perceptione & communione plenam & perennem afferat satietatem; nempe DEVS, Beatitudinis

dinis nostræ Caussa. Ipsa vero *Beatitudo* seu *Felicitas* nostra in Boni illius summi perceptione ac fruitione consistit, qvæ vocatur Amicitia & conjunctio cum Deo.*

[* Sebast. Foxius in Compendio Ethices ex Platone, Aristotele, aliisqve concinnato, scribit: *Plato duplex Summum Bonum agnovit: unum Primum, qvod sit sedes & objectum nostra Felicitatis i.e. DEUM. Alterum non ex se, sed ex illius Communione Bonum, h. e. nostram Felicitatem. Atqve illud qvidem summo honore dignum, Supremum ac Verum Bonum appellat; hoc autem Nostrum primi Boni participatione Bonum esse; ideoqve divinum ac pulcherrimum qviddam appellat.* Lib. I. c. 5. B. Augustinus Lib. IIX. de C. D. cap. 9: *Ipsum verum ac Summum Bonum Plato dicit DEUM; unde vult Philosophum esse amatorem Dei; ut, qvoniam Philosophia ad Beatam vitam tendit, fruens Deo sit beatus, qvi Deum amaverit.* Et Cap. præced. 8: *Cedant Philosophi omnes Platonicis, qvi non dixerunt, Beatum esse hominem fruentem corpore, vel fruentem animo, sed fruentem Deo.*]

His præmissis, dicas nunc, quæ sint Virtutis Præmia?

(1) Amicitia & Conjunctio cum DEO.

Hanc esse Virtutis præmium, & S.Scriptura docet, & Ratio confirmat. DEVS qvondam Abrahamo dixit: *Ego sum Deus sufficiens; ambula coram me, & esto integer: & dabo fœdus meum* (æternam pacem & amicitiam) *inter te & me.* Genes. XVII. 2. & Cap. XV: *Ne metuas Abram; ego clypeus tuus, merces tua magna valde!* v. 1. Johannes Apostolus, *Si in luce ambulamus*, ait, *sicut ipse* (Deus) *est in luce, communionem habemus cum eo mutuam.* 1. Epist. I. 7. Et Christus apud Johannem, *Vos amici mei eritis*, inqvit, *si feceritis, qvæcunqve ego mando vobis!* Cap. XV. 14.

Dein Ratio qvoqve docet inter Deum

Deum & veræ Virtutis cultorem intercedere communionem & amorem mutuum. Vir Bonus amat Deum *amore Obedientiæ*, amando legem ac voluntatem Dei. Deus amat virum bonum *amore Benevolentiæ*, qvo illum, ut suum, imagine sua signatum, agnoscit, favorisqve & gratiæ suæ beneficiis cumulat & beat, ad laudem gloriosæ suæ bonitatis. Hinc Plato in Philebo qværit: *Vir justus & probus nonne Deo amicus est?* Et Seneca, *Inter bonos viros ac Deum amicitia est*, ait, *conciliante Virtute. Amicitiam dico? imo etiam necessitudo & similitudo.* Lib. de Provid. c. 1. Qvid? qvod ipse Aristoteles Lib. X. Nic. Cap. IIX. edit. Rachel. n. 53. scribat: *Qvi in fungendis vitæ muneribus, gerit se consentanee menti, atq; hanc reveretur, & rectissime affectus videtur esse, & eum probabile est, Deo esse amicis-*

amicissimum. Ac circa finem ejusdem Capitis, Virum sapientem, recte & honeste viventem, vocat *Deo charissimum, & hac ratione omnium beatissimum.* Conf. Ethica Philareti Lib. II. c. 2.

(2) Animi tranqvillitas & Gaudium, ex recte factorum conscientia emanans.

Hoc Virtutis præmium a sapientissimis Philosophis vel pro ipsa Beatitudine, vel hujus certe Adjuncto & Conseqvente, semper est habitum. Aristoteles Lib. VII. Eudem. c. 15: *Qui revera beatus est, jucundissime vivit; neqve sine caussa hoc homines arbitrantur.* Et *Beatitudinem* in Rhetoricis definit *Vitam cum securitate jucundissimam.* Poëta de Biante: *Quænam summa Boni? Mens quæ sibi conscia recti.* Seneca de Vit. Beat. *In Virtute fundatum necesse*

cesse est, velit nolit, sequatur hilaritas continua & lætitia altaex alto veniens, ut qva suis gaudeat, nec majora domesticis cupiat. c.4. B. Ambrosius II Offic. c I. *Beatam vitam efficiunt Tranqvillitas conscientia & Securitas innocentia.*

(3) Vera Sapientia, qvæ est rerum divinarum & humanarum, præsertim qvæ Finem & Officium hominis spectant, scientia.

Hæc ex perpetuo Virtutis amore & cultu non potest non oriri. Eaqve sicut in animam malevolam non intrat, ita piæ atqve ornatæ virtutibus animæ lumen est ac decus; etsi nunc majore, nunc minore lucis gradu exsplendescat. Henr. Morus Enchir. Eth. Lib. III. c. 9. p. m. 208. *Sapientia*, inqvit, *perfectæ Virtutis genuinus fructus merito est habenda*.

4. Ho-

(4) Honor, qvi communi Sapientum consensu, dicitur Virtutis præmium.

Sic a Speusippo in Definit. Platonicis describitur Honor, qvod sit *bonorum largitio propter virtutis officium*; item *æstimatio & dignitas virtute acqvisita*. A Cicerone in Bruto ex Aristotelis sententia, Honos qvoqve vocatur *præmium virtutis, judicio studioqve civium delatum in aliqvem*.

[Cum vero in usum venerint geminæ *Honoris* mentiones: eminentior altera, & a sapientibus adhibita, secundum qvam dicitur esse sincerum de Virtute & perfectione alterius testimonium; altera popularis magis, secundum qvam accipitur de externis potius signis & indiciis ab interna illa æstimatione ac judicio proficiscentibus; priore qvidem notione acceptus sæpius, imò semper, comitatur Virtutem & Felicitatem. Nunqvam enim desunt, qvi de viris bonis rectum atqve honorificum, saltem in conscientia, judicium ferunt: fiunt ipsi etiam illi, qvi bellum aliàs Virtuti indixerunt, dum debita venerationis signa viris probis denegant, imò exte-

exterius eos contemnere haud erubeſcunt, interius tamen benignius de illis ſentire coguntur. Hinc fit, ut de facto non alii, qvam viri probi, qvos Pietas, Juſtitia, Prudentia, aliæqve Virtutes exornant, præ cæteris ad publica munia eligantur, aut ſaltem ſub titulis hisce colantur ac commendentur.]

(5.) Nobilitas;

Qvæ cum ſit duplex *Virtutis* & *Generis*, prior inſeparabiliter cum Virtute & Felicitate connexa; imo etiam poſterioris Nobilitatis fons atqve origo eſt Virtus: etſi hanc illa non ſemper ſeqvi ſoleat.

(6) Corporis Sanitas, Temperantiæ cumprimis, Manſvetudinis, aliarumqve Virtutum filia.

Sicut enim plerumqve corpus noſtrum debilitatur ebrietate & ingluvie, enervatur indomita libidine, exuritur flammis iræ, marceſcit odio ac invidia, aliaqve ſentit innumera morborum genera; ita dum animus

mus a vitiis istis ac perturbationibus purgatur, suæqve sanitati restituitur, ipse simul corporis ut plurimum hinc efflorescit vigor ac sanitas.

(7) Divitiæ, saltem mediocres, sumtusqve ad vitam necessarii.

Etsi enim Vir bonus per fraudes malasq; artes divitias corradere nesciat, indeqve paupertatem sæpe sororem habeat; non tamen ad inopiam ita damnatus esse credi debet, qvin, modo ipse velit, ditescere etiam possit. Sunt enim honestæ ditescendi rationes, etiam ex Virtutis penu depromtæ; e.g. Diligentia, Fides, Frugalitas &c. ut recte hinc exclamet Cicero: *O Dii immortales, non intelligunt homines, qvam magnum vectigal sit parsimonia!* Vid. H. Mori Enchir. Ethic. Lib. III. c. 9. §. 20.

(8) Virorum bonorum cum sui similibus Amicitia.

Sola

Sola enim Virtus veras conciliat Amicitias, & conſervat; qvæ cum ſe extulit, (prout egregie hac de re diſſerit apud Ciceronem Lælius) lumenqve oſtendit ſuum, & idem aſpexit agnovitqve in alio, ad id ſe ad movet, viciſſimq; accipit illud, qvod in altero eſt; ex qvo exardeſcit *Amor* ſive *Amicitia.* Sane Viri boni, qvorum eſt idem velle, idem nolle, & qvibus idem omnibus propoſitum, Deo obedire, hujusqve gloriæ amplificandæ ſervire, non poſſunt non ſe invicem agnoſcere, amare, ſibiqve mutuo qvam optime velle. Cic. de Amicit. *Nihil eſt amabilius virtute, nihil qvod magis alliciat homines ad diligendum: qvippe cum propter virtutem & probitatem eos etiam, qvos nunqvam vidimus, qvodammodo diligamus.*

Qvænam Differentia de Præmiis hisce notanda?

Hæc ſunt potiſſima Virtutis Præ-

 mia

mia, Felicitatem noſtram conſtituentia; qvæ ſingula tamen non eodem *neceſſitatis* gradu cum illa cohærent. *Amicitia cum Deo* & *Tranqvillitas animi*, plane hinc videntur ſejungi ac divelli non poſſe; neqve fortaſſis etiam Vera *Sapientia*, ut & *Honor* ac *Nobilitas*, certo in ſignificatu ſumta. Cætera abeſſe poſſunt, & freqventer etiam abſunt: ut *Sanitas corporis*, grandes *Divitiæ* & *Amici*.

[Hinc priora illa a Philareto aliisqve, Præmia Virtuti *Eſſentialia*, poſteriora *Accidentalia* nuncupantur.]

Exempla eorum, qvi Virtutis Præmia ſunt conſecuti.

E Judaica gente, Patriarchæ *Abrahamus*, *Iſaacus*, *Jacobus*, *Joſephus*; item *Joſua*, *David*, *Salomo*, &c. qvos DEVS non ſolum intima ſua dignatus eſt amicitia, animiq; tranqvillitate & generoſitate, ſed & ſingulari ſapientia, honoribus, opibusqve, in admirationem univerſi terrarum orbis, cumulavit, beavitque. E gentibus

tibus five paganis * hic forsan haud prætereundi sunt *Romani*, ad qvorum imperium constituendum contendisse *Virtus* & *Fortuna* videntur; judicio Flori in Histor. Procem. & *qvorum Virtutibus mercedem terrenam, gloriam excellentissimi imperii Deus reddidit*; fatente Augustino Lib. V. de C. D. c. 15. Præ cæteris vero huc referendi *Numa*, *Camillus*, *Metellus Macedonicus*, *Scipiones*, *Augustus* & *Trajanus*; a qvibus orta illa Imperatoribus acclamandi formula: *Sis felicior Augusto, melior Trajano!* E Christianis *Constantinus M.* qvem, teste laudato Augustino Lib. V. de C. D. c. 25, *Deus tantis terrenis implevit muneribus, qvanta optare nullus auderet.* Cui, si opus foret, jungere possemus qvamplurimos Imperatores, præcipue Augustissimum nostrum LEOPOLDUM, *Pium* ac *Felicem*, aliosqve Principes; & in nostra etiam patria Viros generosos ac honoratos, qvorum Virtutis, Felici-

tatis, Gloriæqve splendorem omnis prædicabit ætas, ipsaqve æternitas semper intuebitur.

[* Notandum hic, hominem fidelem ac renatum, de arctiore Amicitia & ardentiore amore Dei mutuo certius omnino sibi gratulari posse, qvam ethnicos sive paganos: interea tamen & hos, si vitia fugiunt, ac virtutes, impulsu innatæ legis, sectantur, v. g. honorant parentes, temperanter ac juste vivunt &c. Deo non displicere. Nam *in qvavis gente, qvi timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi*; Actor. X. 35. Conf. Exod. I. 20. 21, de Obstetricibus Ægyptiorum. Dicis: Ethnici versantur extra Ecclesiam, & salvifica fide carent; adeoqve Deo nec placere, nec salvari possunt. Resp. Ad posterius (τὸ salvari) qvod attinet, sciendum, non hic de remuneratione *æterna*, sed *temporali*, nec de *futura*, sed *hujus vitæ* præmiis sermonem esse. Qvid post hanc vitam expectandum sit ethnicis, Theologus judicat, non Ethicus. Interim placent etiam Deo bona gentilium, his in terris pie viventium, opera, ut *auctori naturæ*; etsi non placent ut *auctori gratiæ*. Vid. Aretologia mea Christiana pag. 6. & 7.]

S. D. G.

PRO-

199

PROLVSIO ACADEMICA de INSVLA FORTVNATA AB ARETOPHILO QVÆSITA ET INVENTA,

Vniversæ Morum Philosophiæ Summam complectens,

eaqve

Sub auspicium Prælectionum publicarum ad Opus Aristotelis Nicomachium habendarum olim recitata.



Auditores genere & doctrina nobilissimi florentissimiqve!

QVod felix faustumqve sit vobis mihiqve! me nunc iterum recipio hanc in cathedram, & socias vobiscum, DEO juvante, vires jungo, ad excolendum porro studium Philosophiæ Moralis; qvam Tullius vitæ ducem, virtutum indagatricem, vitiorum expultricem vocat; nonnemo alius, vitæ nostræ gnomonem, actionum regulam, affectuum moderatricem, animorum imperatricem: sine qva non domus ulla aut municipium, civitas aut respublica, gens aut natio, populus aut regio, mundus ipse aut rerum natura stare potest; unde leges exortæ, unde vitæ tranqvillitas, unde omnis deniqve humana Felicitas ac Beatitudo. Scientiæ vero hujus præcepta non sine fructu hauriri qveunt ex Aristotelico Librorum Nicomachiorum Opere; cujus dædaleam structuram ut feliciore pe-

de

de ingredi possetis, exhibui vobis sub finem anni præteriti Introductionem; ac nonnulla de Librorum Nicomachiorum Auctore, Inscriptione, Versionibus, Commentatoribus, aliisqve, uti par erat, præmisi. Nunc anteqvam ipsi operi dextre ac perspicue explicando admoveamus manum, dissertatione qvadam, florido ac Poëtico propiore dicendi genere conscripta, præludere placet de *Insula Fortunata ab Aretophilo qvæsita & inventa*. Per *Fortunatam Insulam* intelligo veram his in terris Felicitatem; per *Aretophilum*, Ethices ac Virtutis studiosum. Huic in itinere (præter freqventem *Precum ad Deum* fundendarum usum) tres adjungam comites, *Eugeniam*, *Palladium* & *Herculem*. h. e. bonam Naturæ Indolem, Doctrinam & Exercitationem. Tres enim hasce Virtutum Moralium Caussas Humanas constituunt Philosophi. Vos, Auditores nobilissimi lectissimiqve, ut & orationis meæ & itineris Aretophili cursum

res illudunt auribus, in animos haud penetrant rerum argumenta. Vnus Aretophilus Boni illius fruendi magna inflammabatur appetitione. Ergo inter spissam auditorum Lyceo egredientium catervam, circumspicere primum, num qvem animadverteret, cui hæsisset a lectione stimulus, & qvi paria spiraret desideria; tum vero etiam sciscitari aperte, liberetne Summi illius Boni tam magnifice dilaudati, Insulæqve Fortunatæ experiri delicias, ejusdemqve investigandæ suscipere laborem? Sed incassum. Neminem unum ardor urebat veræ qværendæ Felicitatis. Itaqve tacita commotus indignatione repetebat domum, fusisqve ardenter ad DEVM precibus (succurrebat enim illi illud Epicteti apud Arrianum, *DE! memento! hunc adjutorem advocato & commilitonem; ut solent nautæ, qvi in tempestatibus invocant Castorem & Pollucem!*) ad iter hoc se comparans, rem omnem, ac speciatim animi sui decretum, enarrabat Eugeniæ, sorori

suæ a teneris ungviculis conjunctissimæ. Hæc nobile fratris propositum laudare, illum stimulare, impellere, & longe majoremBoni tantopere prædicati cupiditatem accendere. Bene ac sapienter facis, inqvit, frater mi,qvod eximiam illam & generosam indolem, qvam a majoribus hæreditario traxisti sangvine, vili inertia post fornacem corrumpi non sinas. Cogitas nempe, qvantis imaginibus onereris, qvot & qvanta nomina sustineas!

Est in juvencis, est in eqvis patrum
virtus; nec imbellem feroces
progenerant aqvila columbam.

Qvin & ipsa tandem, mundi muliebris, annonæ, cæteriqve aditer apparatus incuriosa, una cum fratre oculis chariore se dat in viam; & qva semita ad ortum Solis procedit, ambo iter aspicantur. Nondum oculis abscesserant Athenarum turres & jam in urbe rumor increbuit, Aretophilum patrios reliqvisse Lares, & nupera Philosophi concione accensum, ad Fortuna-

tunatam Insulam iter suscepisse. Isqve ipse nuntius ad Palladii aures mox advolabat; qui, qvod Aretophili animo, qvæ aliis erant sola aurium delinimenta, calcar addidissent ad qværendam Εὐδαιμονίαν, qvanta perfundebatur lætitia, tanta simul solicitabatur cura, Aretophilum fortasse, juvenem adhuc, viæqve ignarum, a recto itineris tramite aberraturum. In pedes igitur se conjicere Præceptor fidelissimus, discipulum properanter inseqvi, eum, veluti pastor, qværere oviculam, statimqve postridie invenire. Silvula erat jucundis vestita arboretis, variosqve inter calles amœno errore in juga sua surgebat & deprimebatur. Illuc placebat Aretophilo cum Eugenia divertere, primum ut loci formam curiosis lustraret oculis, dein ut fessum qvodammodo corpusculum sopore modico inter arborum umbras componeret. Placidum itaqve capiebat somnum, ex qvo tamen non multo post ab adventante Palladio suscitabatur; qvi, Eqvid agis,

exclamabat, Aretophile? Qvis Deus, aut qvis ventus te huc adegit? Expergefactus juvenis, ac vocis probe gnarus, ô Numen faxit, ut ne procul sit Palladius! ingeminat. Et jam a tergo stantem respiciens, surgit, veneratur, amplectitur, remqve aperit omnem, se nimirum cultissima ipsius doctrina stimulatum, una cum sorore Eugenia Insulam qværere tam graphice nuper descriptam; & cum sint ignari viarum, jamqve incerti, an colles isti sint conscendendi, an progrediendum in vallibus, ipsum divina plane virgula, ac veluti locum tempusqve coëundi condixissent, huc pervenisse. Adhæc rogat, ut lumen de suo accendat lumine, comiter viam monstret; spondetqve, se cum sorore sine ulla secuturum controversia. Approbat Palladius laudabile mentis propositum, & se, qvod Vlyssi Minerva, futurum promittit; porrigit dextram, addit animum, omniqve sopore ab oculis absterso, Non hi tantum colliculi & saxa sterilia, sed

longe

longe majores exſuperandæ ſunt difficultates : eſto tamen bono animo; duce DEO crebrius invocando, meqve comite, omnia oppugnabis & expugnabis diſcrimina! dixit; & ut facundia ſua, inter eundum ſcandendumqve, uteretur Aretophilus pro vehiculo, porro eſt ſermocinatus: Bonum factum, Aretophile! qvod mature inqviras in ſcopum illum, ad qvem omnes vitæ noſtræ actiones debent collineare. Seqveris nempe monitum Poëtæ:

Eſt aliqvid, qvo tendis & in qvo dirigis arcum?
An paſſim ſeqveris corvos teſtaqve lutoqve
ſecurus quo pes ferat, atqve ex tempore vivis?
Helleborum fruſtra, cum jam cutis ægra tumebit,
poſcentes videas; venienti occurrite morbo!

Inditus eſt omnium mortalium animis boni cujusdam appetitus. Ut elementa propendent ad centrum, helio-

heliotropium ad Solem, ferrum ad magnetem, magnes ad polum; ita hominum actiones tendunt ad finem; sed non ad unum. Propellitur miles in campum, fert esuriem ac sitim, excubias & pericula, madet cruore & sangvine, ut prædam sortiatur & gloriam ac victoriam. Currit mercator per Adriaticum Tyrrhenumqve mare, per tot naufragiis infamem Oceanum; pugnat cum procellis ac tempestatibus, Syrtibus obluctatur & Acrocerauniis, ut colligat sibi opes ac divitias. Paucorum conatus est, paucorum cogitatio, qvi ad veram pertingere possint Felicitatem. Non diffiteor, arduum esse iter ad Insulam illam Fortunatam, multisqve obnoxium difficultatibus. Est enim hæc similis opulentæ isti Scythiæ regioni, sed qvam armati custodiunt gryphes; horto Hesperio, sed ad qvē venenatus draco pervigilat; campis Elysiis, sed qvi trifauce latratu Cerberi præmuniuntur; tranqvillo portui, sed per æstuantes maris tempestates obtinendo;

do; fereno diei, fed ad qvem nifi per denfam noctis caliginem pervenitur. Te tamen ab illius amore non prohibeant gryphes, nō avertat draco, non absterreat Cerberus, non remorentur tempeftates, non confundat caligo: qvin tandem occupes hanc regionē, ingrediaris hunc hortum, emetiaris hunc campum, obtineas hunc portum, fruaris hoc die! Mellea hujus & aliorum colloqviorum fvavitas edulcabat non tantum collis afcenfum, fed & breviorem reddebat fpatiofam nec inamœnam illam planitiem, qvæ fe porro ad horrendum fenio nemus extendebat. Hujus ad ingreffum heroæ magnitudinis Vir cubabat, feminudus, ac leonina pelle amictus, fevera fronte, oculis in cavitates abeuntibus, callofis manibus, latis humerorum tractibus, verbo, Giganti qvam homini fimilior. Ad cujus afpectum cum Aretophilo albefcerent labra, Qvid hæres attonitus, inqvit? Hercules fum, Laboris ac Virtutis frater. Vtriqve affvevifti a teneris.

Non

Non egeo verbis mentis tuæ interpretibus! Ex illorum relatione jam cognovi, qvæ animum tuum coqvant desideria, qvæ itineris suscepti caussa sit. Frater ille meus ac soror huc me miserunt, ut tertium me tibi comitem adjungerem: sine qvo pertingere eo vix poteris, qvo tendis! Obstupuit tanti Herois affabilitate Aretophilus; cumqve multas agere vellet gratias de cura sui caussa suscepta, sermonem interrupit Hercules, manumqve prehendens, Abstine, ait, verbis; ac factis meditata proseqvere! Et qvia per infestam latronibus silvam transeundum est, clavam hanc accipe, qvâ tot confeci monstra. Ego hasta communiam dextram, qvâ sæpe Martem, sæpe Palladem, sum comitatus. Armis hic opus; sed & opus meo auxilio!

O silva, funestum theatrum
tot juvenum tragicaqve scena
ploranda stragis!

Qvænam ergo tantorum malorum hac in silva caussa? subjecit Aretophilus;

lus: Qvis hostis tantæ crudelitatis? An mihi paria formidanda sunt discrimina? Præstabit igitur cœptis desistere, qvam ea audere, qvæ superare non possim! Hæc dicenti pallor ora, tremor artus occupabat; cum blando arrisu Hercules: Ne metue, inqvit, Aretophile; per eadem qvidem enitendum tibi pericula, sed feliciore successu. Multis malorum suorum caussa fuit Juventus, uti latentium periculorum ignara, ita coërcentis freni impatiens. Dum sine duce, sine comitibus aggressi sunt iter hoc, amplexi sunt pro virgine cervam, & incauti perierunt. Tu vero qvid times? Eugenia, Palladius & ego tecum! *Venies, videbis, vinces!*

Hæc dum diceret, præcipitavit repente dies, & sepultus Oceano Phœbus silvæ noctem geminavit. Ac pronum fuisset per abeuntes in latibula semitas aberrare, nisi Hercules toties a se tritum callem probe calluisset. Sive metus tamen, sive cautela fuit Aretophili, oculos per ipsas tenebras circum-

circumferebat gnaviter, si qvid forte vel sævum occurreret, vel amabile obviaret. Cum eminus conspicaretur lumen de fenestra ignoti ædificii promicans, interrogabat comites, num hîc forsan ad silvæ marginem jam essent constituti? Multum, inqvit Hercules, viæ adhuc superest, donec ad istud perveniatur palatium, in qvo habitant crudeles illæ belluæ, *Hedone* & *Poneria*, qvæ lucū infamant cædibus, totq; dispergunt funera, qvæ hic spectares, si faveret dies, naribus tamen mox invitus senties. Indoles illarum est blandiri, jocari, ridere; & qvicqvid oblectamenti vel oculum fascinat, vel aures occupat, vel palatum inescat, solent objicere, advenasqve amplecti, ut strangulent. Subjecit altero ex latere Palladius: Multa ex me audivisti de periculoso Vlyssis itinere, de Circe, de Sirenibus. Hîc, hîc habitat famosa ista Circe, cujus poculo fascinati mortales, brutorum stabulis mancipantur; hic blandien-

tes habitant Sirenes, qvæ fallaci ſvadela peregrinantibus rationis lumen exſtingvunt, ut ad ſcopulos non obſervatos infami tumulentur naufragio. Cave ergo, cave earum captari blandimentis; & crede mihi, mella, qvæ propinant, fella ſunt, qvæ ubi ſvaviter per ora illapſa fuerint, viſcera intimiora crudeliter dilaniant. Illarum arriſio eſt irriſio, qva Virtutum actiones & miracula in ludibriũ vertunt. Illarum joci ſunt foci, qvibus tandem omnis amaſiorum ſuorum ſplendor in cinerem exuritur. Illarum munera funera ſunt, & cumuli tumuli, qvibus amatores ipſarum vivi etiam ſepeliuntur. Qva ergo ratione, qva via evadam ego portentorum horum furorem? inqvit Aretophilus. Cui Hercules: Hæc, qvam a me accepiſti, clava,

Erymanthiam vaſtificam abjecit belluam;
hac a Tartarea tenebrica abſtractum plaga
trici-

tricipitem eduxit hydra generatum canem.
Hæc interemit tortu multiplicabili draconem, auriferam obtutu observantem arborem;
hæc iſta qvoqve proſternet monſtra. Tu modo intentum mihi, intentum Palladio oculum & animum habe!

Vbi ſenſim palatii imminuerunt foribus, ecce illicò proſiliit mille Ganymedum & Cupidinum accenſas faces manibus ferentium agmine ſtipata mulier, habitu comto ac ſpecioſo, qvali Helena Paridi ſuo obviam proceſſiſſe dicitur. Frons illi ampla, radices capillorum retro flectens, crines ignibus & novaculis criſpati, tricati, qvadrati, violisqve inflexi, roſisqve innexi; ſupercilia raſa, & fallaci ſtibio coarctata: oculi prægrandes & ludibundi, fulgurantes pupillæ, genæ pictæ, oſculum anguſtum, cervix alba & gemmarum deliciis ferox, mamillæ nudę, & in frontiſpicio pectoris ad tentandam ſpectatorum pudicitiam prominentes, veſtis verſicolor, atqve inve-

inverecunde ſupra ſuras volitans. Hæc amice ſalutatos hoſpites per mille verborum veneres & ſermonis blandimenta invitat, velint ſubire tectum, & noctem ſecuram ducere. Non detrectarunt diu hoſpites; qvos non tam alliciebant invitantis lenocinia, qvam deſignati facinoris ac cædis opportunitas. Seqvuntur ergo, Ingrediuntur: & ecce ad introitum, cantus lyræ, mulierum chori, vina, fi us, mella, & qvicqvid calcaverant, roſa erat. Juraſſet Aretophilus, ſe nunc appulſum ad Inſulam Fortunatam, niſi ex Palladio jam didiciſſet, hoc eſſe domicilium *Hedones* ſeu *Voluptatis*, juratæ Virtutis inimicæ. Intus abscedebant in ſemetipſa conclavia, & longo ordine alterum altero excipiebatur. Ac primum qvidem erat conclave Veneris; in qvo Amores, Deliciæ, Lepores, Riſus, Joci, cæteræqve Hilaritatis illices. Solio inſidebat Regina Venus, & juxta illam cubabant late circum, mollibus lectulis inſtrati, Priapus, Subjugus, Virginenſis,

ginensis, & reliqva obscœna nomina. Disputabat inter hæc Aristippus de Summo Bono, consistente in volupta-te corporis; atqve ingeminabat su-um Thalassio! Thalassio! In alte-ro conclavi Baccho litabant & Cere-ri epulones, lurcones, Heliogabali & Apicii. Aderat cum Saturitate so-ror Ebrietas, crine fluxo, rubentis Au-roræ vultu, & manu thyrsum qvatie-bat. Qvid multis? Luxus hic Sy-bariticus, cupediæ Asiaticæ, & cate-nata Symposiacorum hilaria. In ter-tio nil nisi aurum, argentum, gemmæ, gazæ Arabum, patrimonia Crœsi Crassiqve, talenta Midæ, Tagi Pacto-liqve arenæ, & mille Persarum, Indo-rum, Peruanorum, Brasiliensium the-sauri. In qvarto fulgidæ micabant coronæ, sceptra, diademata, purpu-ræ, tiaræ, paludamenta, aliaqve ho-norum insignia. Et qvis omnia enu-meret? Ad postremum ubi perven-tum, ex qvo longior conclavium seri-es in alterum regiæ latus aperiebatur, ecce illico occurrit ingredientibus

mulier

mulier alia, etiam reginæ instar, splendide vestito gynæceo, atqve ingenti ancillarum, plerarumq; tamen larvatarum, stipata grege. Hæc heroæ, ut videbatur, staturæ Camilla, & ipsa peruncta stibio, tinctisqve superciliis, vultu ad modestiam violenter composito. & comi affatu, sed brevi, hospites ad interiora deducit penetralia. Inter eundum insusurrabat Palladius Aretophilo in aurem, hanc *Poneriam* esse, sive *Malitiam*; comites vero varia esse vitia, sub larvis virtutum incautos fallentia. Nôsti, inqvit, Senecæ illud: *Vitia nobis sub Virtutum nomine obrepunt. Temeritas sub titulo Fortitudinis latet, Moderatio vocatur ignavia; pro cauto timidus accipitur; in his magno periculo erramus.* Mox conclave pandebatur plus qvam regio instructum apparatu; mensa varias epularum scenas exhibebat, crateres insuper aureos, argenteos, & vasa ex pretiosiore qvaqve argilla testacea, vitra etiam capacissima, hospitum saluti

K confe-

conſecrata. Inſtat ficta comitate Poneria, ut vel modico cibo ac potu reſtaurent vires, qvo blandior ſomnus ſuccedat. Excuſant hoſpites priorum noctium vigilias, & ſtomachi his inaſſveti nauſeam; ſpondent tamen, ſi non gravis ſit hodie domina, ſeqventem in diem ſe hisce fruituros. Læta reſponſo Poneria, qvod diurno furore & cædibus patratis laſſa ad ſomnum jam inclinaret, interea vero tempus nanciſceretur in craſtinum differendi victimas, alterius in lateris receſſibus tumentia plumis ſtrata monſtrat, qvibus ad mollem ſoporem invitentur. Ergo qvietæ noctis voto ſalutatos deſerit hoſpites, & ad ſua ſeſe recipit conclavia. Mandat interim medicatum parari vinum, qvo ad craſtinas epulas temulentiam infundat hoſpitibus, tandemqve ſolita crudelitate conficiat.

Verum Aretophilo ſomni oblivionem fecerant ſolicitudo atq; haud dubia inſtantis periculi argumenta; magis tamen deſiderium patrandæ cędis,

qvam

qvam instinctu Herculis moliebatur. Ergo brevi consilio rem omnem digerunt, occasionem explorant, tempus, qvo in somnum cadat Poneria, operiuntur. Forte dum aulæa submovent a fenestris, in librum incidit Aretophilus, cujus a fronte titulus:

Ars evertendi Regnum Virtutis.

Qvem dum legeret, Mira, inqvit Palladius, reperies Aretophile, & qvæ qvaliaqve dogmata sint Poneriæ, vel ex indice intelliges. Legit proinde juvenis funestum indicem, volante tamen oculo, sine ordine, & ut pagellæ venerant in manus: v.g.

Qvod Deus cuiqve sua sit mens, suusqve genius.

Eam religionem seqvendam esse, in qva laute qvis possit vivere.

Felicitatem mundanam consistere vel in Voluptate corporis, vel in Divitiis, vel in Honoribus, prout cuiqve libitum fuerit.

Qvod ficta virtute aqve feliciter gubernentur regna, qvam vera.

Quod seu vi seu dolo opprimendus sit, qvisqvis præ te ad felicitatem nitatur.

Quod otium juventuti sit indulgendum, & exterminanda omnia literarum studia.

Pocula lætitiæ sine discrimine esse licita, etiam amatoria, abortum promoventia & propinantia venenum.

Lupanaria & prostibula tolerari omnino debere.

Magnam esse laudem fingere vultum, simulare, dissimulare: & qvi fallere nescit ac mentiri, sapientis nomen haud mereri.

In omnibus actionibus semper respiciendum esse commodum privatum.

Hæc & hujus farinæ plura cum legisset Aretophilus, indignatione tandem commotus, noxium impiumqve libellum vi, qva potuit, in minutal dilacerat, & non sine intima Palladii voluptate, per fenestram ventis in mare Caspium ferenda folia dispergit, ac mil-

ac mille diris tam nefariæ doctrinæ auctorem insectatur. Hoc dum agit, ecce profunda e fossa, in qvam prospicere licebat e fenestra, audit moribundi hominis gemitus & ejulatus. Qvem inclamat Aretophilus: Qvis tu? quo vulnere jaces aut infortunio? Is ululante voce: Heu juvenem me infelicem! Fortunatam qvæsivi Insulam; in miseriæ barathrum incidi. Inebriavit me Hedone, hucqve præcipitem egit Poneria. Et ecce morior! Non mea unius hæc clades est: jacent peremti mille, qvos error suus huc pertulit. Ivi sine duce, ducem secutus ætatem, qvæ ut delectabilium est avida, ita eventuum est improvida. O qviqvis es ignotus hospes, vel gradum reprime, vel expertos duces assume! Moriens te commoneo; meo periculo sape! dixit & exspiravit. Vbi mox Palladius ad Aretophilum: Hunc habent exitum, qvi nos fugiunt duces.

Molle ostentat iter via lata; sed ultima meta
præcipitat captos, volvitqve per ardua saxa!

Disce, Aretophile, & duces pati & seqvi!

Interea vero nox ad gallicinium pervenerat; & sopor altus regiam omnem ad silentium composuerat. Solus audiebatur ronchorum tractus; & is, qvantum ex cubiculorum compage argui poterat, a Reginæ conclavi videbatur prodire. Ergo tempus designato facinori jam adesse rati, de obtruncanda Poneria amice conjurant; & ad regii conclavis fores nullo custode munitas, duce ronchorum sono, perveniunt. Attollit summo silentio pessulum Eugenia; spectantqve per reductas jam fores, *Poneriam* ad tenuem lychnum libro (Speculum Vitiorum erat) incubantem; qvod forte vel inopinantem somnus oppresserat, anteqvam vestimenta poneret; vel, qvod credibile magis arbitrabantur, ut maturius se ad meditatam

ditatam hospitum cædem expediret. Tum Palladius & Hercules tacite in aurem Aretophilo:

Nunc animos, nunc sume pares ad grandia facta
vires! Herculeamqve fero capiti imprime clavam!
CasaqveLethais succedat victima flammis!

Admoverunt pedem silente passu. Hinc Palladius consistit minace telo, inde Hercules appressa ad latus dormientis hasta, ut, si forte expergefieret, repente adacto vulnere opprimeretur. Aretophilus interim expeditissime clavam librat, tantaqve vi Poneriæ capiti imprimit, ut dispersum late cerebrum parietibus adhæserit. Stitit ronchos aufugiens spiritus, & corpus, ut erat a sella in mensam inclinatum, mansit immotum. Confestim nemine observante recedunt, & oppessulatis foribus ad sua redeunt animosiores. Hîc Aretophilus rubrica inscripsit Julianum istud, VENI, VIDI, VICI.

VENI

ducente & comitante EUGENIA;

VIDI

circumspecto ac intento in PALLADIUM oculo;

VICI

Virtute clavaque HERCULEA.

Quicunque sequeris,
sine ducibus his iter hoc non ingredere
Hoc monstri genus ex Hydra semine est;
Quotannis occiditur, & quotannis repullulat.

Dum vero de virili hoc facinore Eugenia, Palladius & Hercules Aretophilo gratulantur, visa est Aurora ad horizontis limbum radiorum suorum explicare primitias. Ergo monet Hercules colligere vasa, & iter prosequi. Ad palatii posticum iterum nullus vigil, excubiæ nullæ; pertinace tamen sera mordentes sese valvæ egressum prohibebant. Fores *Insaniæ*, cujus curæ concreditus erat posterior

or ædium aditus, molli digito pulſat Aretophilus ; ſed qvæ in adultum diem ſternere aſſveverat , ſonitum non accepit. Pulſat violentius clava; & momento recedunt valvæ. Evigilaturam credebant ; qvæ tamen nihil turbata , utramqve in aurem dormiebat. Jacebant circumcirca Furor, Rixæ, Vomitus, Morbi,

& ſubitæ Mortes, atqve inteſtata Senectus.

Perimere & hanc licuiſſet colluviem, niſi eam tam late toto orbe diffuſam cogitaſſent , ut ſingulis horis nova inde malorum lerna emanaret. Ergo clavem de menſa accipit Aretophilus, ac majores palatii fores aperit, & cum comitibus abit, excedit.

Nulla mora obſtabat amplius, nullum ab his monſtris periculum metuendum. Et jam e ſilvæ margine per modicam camporum planitiem primo diluculo progredientibus objiciebat ſe mons horridus & imprimis altus, cujus aditus aſper & peranguſtus, cacumen vero ſtructura magnifica

cernebatur coronatum Hæc ad Domicilium Virtutis via eſt, ait Aretophilo Palladius,

qva dextrum petit ardua callem,
difficilemqve aditum primum ſpe-
ctantibus offert;
ſed reqviem præbet feſſis in vertice
ſummo.

Vnicum hoc diſcrimen adhuc ſuperandum, & rupes iſta, qvam vides, magno animo conſcendenda. Noſti illud:

Gaudent ſudoribus artes,
& ſua difficilem reddunt ad limina
curſum.

Ita pariter Virtutes; qvarum laureæ non veniunt dormientibus, nec palmæ otioſis Eundum per noctes ad diem per labores ad qvietem, per aſpera ad aſtra. Cumqve ſole jam orto monti appropinqvarent, Invia, pergit Palladius, Virtuti nulla eſt via; atqve ea nobilium animorum indoles, qvo magis arduum eſt ad gloriæ culmen iter, eo ardentius ad faſtigium eniti. Jamqve inter ſcandendum Her-

Hercules porrigebat manum, utqve bono esset animo, hortabatur Aretophilum; Palladius vero e pera protraxerat Cebetis Tabulam, atqve interim mellitis verborum globulis, sesamo qvasi atqve papavere sparsis, ejus partem imprimis postremam explicabat. qvæ viam pariter asperam ac præruptam ad Salutis domicilium pandit; ubi geminæ tamen sorores, superius in rupe stantes, Tolerantia & Continentia, manus ad ascendentes alacriter extendunt, & una cum Fiducia, Fortitudine, Consolatione & Animositate, expeditam dein viam ad laudatum exoptatumqve domicilium ostentant. Dumqve inter dulcia hæc sapientis doctrinæ & svadæ lenocinia, masculaqve pariter Herculis hortamina & solamina, ad rupis supremam eamqve difficillimam aditu partem pertigissent, svaviter ac modulate cecinit Eugenia:

Labore constat, qvicqvid amabile est;
Bello triumphus, metaqve cursibus,

lucta corona, portus ira
Oceani, decimoqve fluctu.
Sudore constat, qvicqvid amabile
est.
Intende gressum, qvi petis arduam
Virtutis arcem; intende gressum!
Vt pyriis animata nimbis
Gravi reclusam torqvet anhelitu
pestem nitrati machina pulveris,
ruptoqve qvarens are callem
fulmineo lacerata sternit
Fatalis ictu mœnia: Pectoris
sic gloriosi pervius invias
tentare metas urget ardor,
Caucasea Rhodopesqve firment
Seu valla cautes, murus aheneo
seu duplicatus terreat aggere,
irrumpit audax, perqve stratas
indomitus volitat ruinas.
Sudore constat, qvicqvid amabile
est.
Firmate gressus! Surgite, surgi-
te!
Qvicunqve non parcit labori,
grande feret pretium, coronam.

Post-

Poſtqvam hæc jucunde ſcienterqve decantaſſet Eugenia, jamqve culmen montis feliciter ſuperatum eſſet, parum adhuc viæ, ſed æqvæ ac planæ, reſtabat, qvæ Aretophilum hujusqve comites ad magnificum Virtutis domicilium recta deducebat. Æſtum ſolis ſolabantur proceræ palmæ ac lauri, qvæ ſcenarum in modum pulcherrimo ordine utrinqve ſurgebant, & fluitante ſua cæſarie mites flagellabant Favonios. Propinqvior jam auguſtæ moli Aretophilus Inſcriptionem, qvam ſuperne Tabula ex ære polito oſtendebat, cupidis luſtravit perlegitqve oculis.

DOMICILIVM VIRTVTIS
in monte poſitum, & hinc orbi expoſitum

Huc adeſte hoſpites,
qvibus caput integrum eſt.
Non timete vertiginem,
qvi Virtutis callem inceditis;
per anguſta ad auguſta,
per ſpinas ad roſas,
per ſaxa & vepres,

ad palmas laurusqve ducit.
Aureus hic mons est,
animis aurum, non manibus,
eruite!
Sacra hac auri fames est.

Perlectis hisce, summa reverentia apertam intravit januam Aretophilus, & in atrio, inter plures alias Apellis & Parrhasii picturas, duodecim Herculis labores exqvisita arte & industria depictos admiratus est. Hos tibi (Hercules ajebat Aretophilo) Palladius interpretabitur; ego in Fortitudinis conclave me interim recipiam, patronam meam, ea, qvam ipsi debeo, fide veneraturus. Qvi dum paulisper discesserat, Ergo oculos animumqve arrige Aretophile inqvit Palladius, & e certaminibus Herculis, qvorum ille, cum clavam tibi suam in itinere commodasset, mentionem jam injecerat, addisce, tibi qvod ex usu fiet. Nempe enim Hercules perdomuit Leonem Nemeæum; nos impetum animi iræqve furorem frænis & catenis compescamus.

mus. Hercules dimicavit cum hydra Lernæa; nos cum mendaciis falsisqve doctoribus gloriosum certamen subeamus. Hercules aprum superavit Erymanthium; nos stuporem ingenii, tarditatemqve & inscitiam exsuperemus. Hercules cervam occidit Ceruniam; nos timiditatem, metum, desidiam, propulsemus. Hercules aves profligavit Stymphalicas; nos arrogantiam & jactationem fugemus, spesqve aureas & inanes abjiciamus. Hercules bellavit cum Amazonibus; nos audaciæ & intemperantiæ bellum indicamus. Hercules Augiæ stabulum repurgavit; nos a vitiorum sordibus immundarum voluptatum cœno, & errorum fœditate, mentes animosqve nostros perpurgemus. Hercules taurum in luctatione cum Antæo compressit; nos petulantiam, superbiam, perturbationum insolentiam ac tumorem, frangamus, debilitemus. Hercules eqvos prostravit Diomedeos; nos cum libidine, lascivia & ferocia, magno animo de-

luctे-

Luctemur. Hercules in pugna Geryonem vicit tricorporem; nos pugnemus cum triplici monstro, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Hercules conflictatus est cum dracone ante hortos Hesperidum; nos cum dracone Stygio, veram beatitatem nobis invidente, fortiter confligemur. Hercules depugnavit cum Cerbero tricipite; nos cum mala fama, mala conscientia & desperatione decertemus.

Certandum est; nulli veniunt sine Marte triumphi,
& nisi certanti nulla corona datur.
Est Deus, est æther pretium certaminis hujus;
hæc faciant pugnam præmia tanta levem.

Qvæ cum edisseruisset Palladius, Memoria, inqvit Aretophilus, contineo has duodecim Herculis Ærumnas, ab Ausonio rotunde descriptas:

Prima Cleonæi tolerata ærumna Leonis.

Pro-

Proxima Lernaam ferro & face
contudit hydram.
Mox Erymantheum vis tertia per-
culit aprum.
Æripedis quarto tulit aurea cornua
cervi.
Stymphalidas pepulit volucres di-
scrimine quinto.
Thrëiciam sexto spoliavit Ama-
zona baltheo.
Septima in Augëis stabulis impensa
laboris.
Octava expulso numeratur adorea
tauro.
In Diomedeis victoria nona qva-
drigis.
Geryone exstincto decimam dat I-
beria palmam.
Vndecimo mala Hesperidum distri-
cta triumpho.
Cerberus extremi suprema est meta
laboris.

Posthæc in Domicilii interiora ubi penetrassent, deprehendebant ante fores habitaculorum, qvæ Virtutes incolunt, harum imagines a Zeuxide scitissime pictas, singularum formam & ha-

& habitum repræſentantes. Vbi præ cæteris omnibus conſpiciendam ſe præbuit *PIETAS*, matrona capite alata, tunica nigra talari induta, dextra crucem, ſiniſtra thuribulum tenens. Succedebant reliqvæ ordine Ariſtotelico: ac primum qvidem *FORTITVDO*, heroina qverno ſerto coronata, militari ſago induta, & paludamento in tergum rejecto, haſtam dextra elevans, læ voqve brachio firma in baſi qvieſcens. Dein *TEMPERANTIA*, virago frondibus pini (arboris caſta olim Sacerdotum templa ornantis) redimita, alba veſte amicta, vinum aqvæ miſcens. *LIBERALITAS*, puella hilari fronte, alata dextra catenam auream, ſiniſtra Cornu copiæ tenens. *MAGNIFICENTIA*, ut regina, veſte aurea adornata, & imperiali cincta diademate, pecuniam populo large ſpargens. *MAGNANIMITAS* rictu leonis pro caſſide tecta, dextra ſceptrum, ſiniſtra aqvilam præferens, Solis radios irretorto vultu intuentem; ac pede globum

terræ

terræ calcans. *MODESTIA*, puella gratiosa, habitu simplici sed honesto, coronas aliqvot humi inversas, & plura κειμήλια despiciens; sunt in proximo instrumenta varia, gnomon, circulus, cribrum & rastrum, antiqvitus ipsi tributa. *MANSVETVDO*, oleagino ornata serto, agnum tenellum ulnis fovens. *HVMANITAS*, virgo hilari vultu, veste candida floribus conspersa, sertum myrteum capite, manibus catellum blandientem mulcens. *VERACITAS*, nuda brachia & lacertos, sed & proxima pars pectoris patet; cæterum velo cincta subtilissimo, dextra speculum, sinistra Solem complectitur: capiti columba insidet. *VRBANITAS* veste tecta versicolore, lingvam sale condiens. *JVSTITIA*, reginæ instar, aureo coronata diademate, velatis candida fascia oculis, dextra nudatum gladium, sinistra bilancem ferens. Ab altero latere curiosiores Aretophili oculos ad sui spectaculum trahebant Virtutes aliæ præstantissimæ, a Sta-

a Stagirita silentio prætermissæ: videlicet *FORTITVDO TOGATA*, heroina splendente Romanorum toga induta, qvæ leonem a dextris sedentem moderatur freno, sinistra columnam amplectitur. *CLEMENTIA*, benignissimæ principis instar, argenteo amictu adornata, dextra olivæ ramum gerens, læva mulcens Delphinum, cujus viscera felle dicuntur carere; ante pedes jacent gladii, flagella, fasces consulares. Αὐτάρκεια, seu *SVFFICIENTIA*, mulier brachiis & pedibus nuda, modica honestaqve tunica, manu thymbram sive saturejam gestans, & comitata chamæleonte; qvod animal vento ali ac vivere, sibiqve adeo sufficere, creditur. *TACITVRNITAS*, matrona ori indicem apprimens, tecta veste auribus oculisqve plena, & annulum gestans signatorium, cui figura Harpocratis insculpta. *SEDVLITAS*, puella lauro coronata, veste succincta, altera manu calcar sustinens, altera horologium. *CHARITAS*, sive Philanthropia

Pia, virgo ridibundo amabiliqve vultu, toga rubra aureisqve interſtincta flammulis amicta, ſtans ad ardentem Veſtæ focum, ac puſionem ſvaviter oſculans: *CONCORDIA*, dextra ſagittas aliqvot albo fune colligatas, læva cornu Amaltheæ gerens; caput oleaginea cingit corolla. *HOSPITALITAS*, mulier liberali facie, ſerto velata ex latis platani foliis contexto, qvæ arbor divertentes ſub ſe peregrinatores umbra gratiſſima recreare ſolet; manu altera capaciorem ſcyphum, altera dimidiatam geſtat teſſeram. *GRATITVDO*, puella fido ſtipata cane, dextra manu ferens ciconiam, ſiniſtra indicem intendens ad agrum fertilem, qvi plus reddit, qvam accepit. Ad plura ejusmodi Virtutum, ut *Parſimoniæ*, *Officioſitatis*, *Miſericordiæ* &c. ſimulacra luſtranda dum oculos animumqve appellebat Aretophilus, ecce *Pietas*, *Humanitas* & *Hoſpitalitas* ſuis egreſſæ habitaculis, hoſpitem novum, una cum comitibus, comiter excipiunt,

eos-

eosqve ſimul in elegantem mundamqve diætam introducunt, ubi jam congregatæ ſtabant Virtutes cæteræ, ac redux & Sagatæ Fortitudinis latus ſtipans Hercules. Proceſſerunt ordine ſuo omnes, amplexæ Aretophilum, & ex eo qværentes, qvo nomine qvave patria eſſet? An præterea errore vel conſilio huc appuliſſet? Ille ex Græcia ſe venire reſpondit, arasqve & focos patrios indicavit; adhæc nomen, genus, itineris hujus cauſſas, comites, exantlatos in eo labores ac pericula, adeo meditate diſtinctèqve commemoravit, ut, præter ſvadæ dulcedinem, juvenis hujus ætas, forma, habitus & arcanus lùminum vigor, omnibus perplaceret. Mox *Hoſpitalitas* gratiſſimorum hoſpitum pedes lavare, ungere, ac blandis melitisqve verbis eos ad capiendum cibum potumqve invitare, qvo vires laſſitudine fractæ reficerentur. Accubuere poſt paulo omnes, & Pietas ac Temperantia ſedendo latera cinxerunt Aretophili; Fortitudo gemi-

na Herculi, Veracitas Palladio, Charitas & Humanitas Eugeniæ comites se præbuerunt. Frugi ac nitidus aderat epularum apparatus, in luxum tamen minime diffluens. Non hic cernitur ales Phasiacis petita Colchis, atqve Afræ volucres, & ultimis ab oris attractus scarus, inqvit Temperantia Aretophilo; qvi promte illi respondebat ex Seneca suo: Ecqvid opus est tot artibus ventri servientibus? qvid mercaturis? qvid vastatione silvarum, qvid profundi perscrutatione? Passim suppetunt alimenta, qvæ rerum natura omnibus locis disposuit. Placet cibus, qvem nec parent familiæ, nec spectent; non ante multos imperatus dies, nec multorum manibus ministratus, sed parabilis facilisqve, nihil habens accersiti pretiosive, nec patrimonio gravis nec corpori, nec rediturus, qva intraverat. Neqve adest qvidem, subjungit Pietas, vinum Cæcubum, non Falernum, non Lesbium, nec præsto sunt veteris pocula Massici; bono tamen esto animo, Aretophile,

viros audias! qvibus præceptis imbuare! Ita colloqviis ſvaviſſimis veſpera extendebatur, & qvanqvam longiſſimus dies, cito condebatur. Soluto convivio, poſt decantatas Divino Numini grates, dum ex hoſpitibus qværebat Hoſpitalitas, an membra qvieti dare vellent? animo ſecum volvit, & clare mox recitavit Aretophilus ἀκρόασιν illam Πυθαγορικὴν:

Vir bonus & ſapiens, qvalem vix
repperit unum
millibus e multis hominum conſultus Apollo,
judex ipſe ſui, totum ſe explorat
ad ungvem.
Nec prius in dulcem declinat lumina ſomnum,
omnia qvam longi reputaverit acta diei.
Qva prætergreſſus? qvid geſtum
in tempore? qvid non?
Cur iſti facto decus abfuit aut ratio
illi?
Qvid mihi præteritum? cur hæc
ſententia ſedit?

Qvid volui, qvod nolle bonum foret? Vtile honesto
cur malus anteuli? Sic dicta & facta per omnia
ingrediens, ortoqve a vespere cuncta revolvens,
offensus pravis, dat palmam & præmia rectis.

Comprobavit universa Virtutum corona hoc & alia multa egregiæ indolis ac vitæ specimina, qvæ ex Aretophili sermonibus & factis luculenter satis animadverterat. Proinde Justitia, loco omnium, debita ipsi spopondit præmia, & postridie iter ad Insulam Fortunatam fortunatissimum. Ita post reciproca tranqvillæ noctis vota amplexusqve mutuos, ministram se præbuit cubitum ituris Officiositas, atqve Herculem, Palladium & Aretophilum in nocturnum qvoddam duxit cubiculum, ubi lecti tres erant strati, & apparatus reliqvus splendide expositus; Eugeniam vero suum in dormitorium secum illa reduxit. Nunqvam altiore, nunqvam placidiore

ore Aretophilus obdormivit somno, etsi non adeo diuturno. Qvemadmodum enim Miltiadis tropæis suscitabatur Themistocles; sic Aretophilus noctis jam gallicinio e lecto prosiluit, & ad extremam eamqve desideratissimam itineris partem conficiendam se comparavit. Surrexere dein, surgente aurora, Palladius qvoqve, Hercules & Eugenia; qvi, unà cum Aretophilo, peractis in secretiore Pietatis conclavi, templo simili, matutinis sacris, universum Virtutum chorum ibi pariter congregatum, ante abitum gratiis persolutis venerati sunt, seqve favori ejus perennaturo magnopere commendarunt. Mox in medium processerunt *Pietas* & *Justitia*, his Aretophilum verbis allocutæ:

Ipsa qvidem Virtus sibimet pulcherrima merces;
attamen invitam blande vestigat & ultro
ambit Honor.

Capesse igitur manu palmam, crinesqve

qve serto hoc implica ; (& imposuerunt capiti illius coronam lauream;)

Hæc meta sit certaminis,

hoc præmium laborum!

Bre is hinc ad Insulam Fortunatam trajectus est. Hisce insignitus præmiis non repudiabere! Neminem sic ornatum & coronatum Evdæmonia excludit.

I ergo, tua qvo virtus vocat, i pede fausto!

Hic observantissime Aretophilus in grates Deabus persolvendas iterum effusus, recedentium adoravit vestigia. Proseqvebatur utraqve sereno vultu abeuntem ; qvem & comites ejus, *Hospitalitas* & *Officiositas* ad posticam usqve sunt comitatæ.

Digressis inde,& ad breve qvod restabat, iter peragendum, promtis accinctisqve hospitibus occurrebat modica pratorum planities, tandem in præcipitia desinens ; per qvæ, sole jam exorto, magna pernicitate se demittebant versus æqvor, qvod adhuc erat transmittendum. Atqve stabat jam

jam ad litus parata & concinne fabrefacta navis, bene intus compacta, extrinsecus vero eleganter picta, mobili clavo, firmis rudentibus, procero malo, insigni carchesio, splendentibus velis, postremo omnibus armamentis idoneis ad usum, & honestis ad contemplationem. Conscendunt puppim hilares, seqve alto committunt; & Eugenia seqvens orditur celeusma:

Amica veri flamina,
chori Favoniorum,
ludi jocantis Æoli,
Jovisqve mitioris,
Etesiarum sibila
& blanduli susurri,
tranqvillitatis prodromi,
fontes serenitatis,
mulcete fluctus Tethyos,
& Nerei furores
exasperati sternite,
pacem referte ponto;
donec cupitos Insulæ
teneat carina portus!

Inter modulamina hæc & prona adspirantium ventorum obseqvia, recto

cursu in portum ferebatur navis, hospitesqve Fortunatæ inferebat Insulæ, in qva assidua viget securitas, constans fulget serenitas, æterna floret tranqvillitas. Nec enim fulmen eo unqvam vibratur, nec fulgur minatur; non nimbus excutitur, non grando rotatur; nebulæ nullæ serpunt, neqve venti, nisi cicuratis viribus, temperataqve lenem in auram vehementia pertingunt; ut adeo Ver heic loci sit perpetuum, indiesqve melius ac serenius soles enitescant. Mox a dextra Insulæ parte convalles visebantur & horti, in qvibus violarum aurum, liliorum argentum, rosarum purpura, ac mille aliorum florum gemmulæ svavitate ac splendore suo inter se certabant, eodemqve Semiramidis, Adonidis & Hesperidum hortos longe exsuperabant. Ac per hos qvidem via pandebatur ad ipsam *FELICITATIS* regiam. Qvam simul ac e longinqvo oculis attigit Aretophilus, comitibus suis Eugeniæ, Herculi & Palladio (qvi, ut plurium inservirent desi-

desideriis, jam parabant reditum) perhumaniter gratias agit multo maximas; atqve O si, inqvit, uno volatu liceret abripi! Et qvod volatu non licuit tentavit cursu; ac prope momento temporis in ipsius regiæ constitit vestibulo. Cernebantur hic antiqva Virtutis & Felicitatis simulacra, Cyri, Numæ, Scipiones, Camilli, Metelli, Augusti ac plures. Verum imaginibus hisce spectandis non diu immoratus est Aretophilus, sed penetravit interius; ubi longa serie utrumqve stipabant latus sanctioris Deoq; magis placentis Virtutis ac Felicitatis compendia, Abrahamus, Josephus, Josua, David, Salomo; inde Constantini, Theodosii, Caroli, Conradi, Ottones, & multo plures variarum gentium ac dignitatum. Qvos dum oculorum & ingenii acie contemplabatur Aretophilus, en procedit regina *EVDÆMONIA*, (qvam venerabili caterva stipabant Conscientiæ Tranqvillitas, Amicitia cum Deo, vera Sapientia, Nobilitas, Cor-

porisAnimiqve Serenitas) ac dulces post amplexus & oscula, juvenem laureatum, dissimulato vel suppresso Aretophili nomine, salutat *Evdamonium*; eidemqve offert Cornu Copiæ, & exoptatissimam perpetuamqve jurat prosperitatem. Cantabant Virgines sociæ:

Plaudamus! Evdamonii
victor triumphat ausus!
O aura, ponte, litora,
o astra ferte plausus!
Scrutatus est hanc Insulam,
hæc templa Gratiarum,
per montium cacumina
& vortices aqvarum.
Delusit artes hostium
ac obstitit furori.
Beata merces arduo
nunc redditur labori.
O aura, ponte, litora,
o astra ferte plausus!
Plaudamus! Evdamonii
Victor triumphat ausus!



JVRISPRVDENTIAE NATVRALIS EPITOME

ſive

Doctrina brevis


de

OFFICIIS HOMINIS

erga

Deum, Seipſum & alios homines,

in gratiam Auditorum Academicorum adjecta.



B. C. D.

JVRISPRVDENTIÆ NATVRALIS EPITOME.

CAPVT I

De Natura & Indole Jurisprudentiæ Naturalis.

I. JVrisprudentia *Naturalis* est Prudentia hominem actiones suas ad Legem Naturæ componere docens. Ab aliis etiam vocari solet *Jurisprudentia Vniversalis*; utpote qvæ non unius civitatis legib⁹ absolvitur, sed qva qvorumvis hominum erga se invicem officia reguntur.

II. Objectum ejus sunt Actiones (& Omissiones) hominis secundum Naturæ leges formandæ. Qvo ipso distingvuntur (1) ab Actionibus hominis *Naturalibus*, qvæ ab Intellectu & Voluntate ejus non dependent; qvales sunt actiones animæ vegetativæ, primi motus in appetitu &c. (2.) ab Actionibus hominis *Civilibus*, qvæ secundum Leges Civiles fieri aut omitti debent; (3.) ab actionibus hominis *Christiani*, qvæ secundum Leges divinas Positivas; sive Theologiam Moralem, fieri aut omitti debent.

III. Finis *Jurisprudentiæ Naturalis* est, ut homo justus ac felix sit hac in vita. Qvo ipso distingvitur (1) a Fine *Jurisprudentiæ Civilis*; qvi est, ut civis justus ac felix sit in civitate: (2.) A Fine *Theologiæ* Moralis, qvi est, ut homo beatitudinem æternam conseqvatur. Vel secundum alios

alios, Finis Jurisprudentiæ Naturalis est duplex : *Proximus*, ut homines Dei amantes normam habeant, ad qvam actiones suas componant ; *Ultimus* sive *Remotus*, ut humani generis felicitas tranqvillitasque conservetur ac promoveatur.

IV. De vetustis æqve ac recentioribus Jurisprudentiæ Naturalis *Scriptoribus* agit V.C. Jo. Eisenhart, Prof. Helmstad. in cap. I. & II. libelli, cui titulus est, Institutionum Juris Naturalis in Moralis Philosophiæ doctrina repræsentatio f. 12. Helmst. 1684. & Cl. Jo. Franc. Buddeus in Historia Juris Naturalis, Halæ Magdeb. f. 8. 1695. De Junioribus vero diligentissime agit Vincentius Placcius in Consilio de Studio Philosophiæ Practicæ §. IIX. p. 37. & seqq. E qvibus palmam cæteris præripere videntur H. Grotius de J. B. & P. doctissimiqve in eum Commentato-

res, Bœclerus, Zieglerus, Feldenus, Kulpiſius in Collegio Grotiano, aliiqve; item Cumberlandus, Pufendorfius, Thomaſius, Buddeus in Elementis Philoſophiæ Practicæ, ac plures.

V. *Tractandi* hanc diſciplinam *Modus* erit optimus, ſi primò Officia ſecundum Principia & Affectiones conſiderentur; deinde ad ſingula deſcendatur, & ad qvamlibet illorum claſſem Virtutes Morales reducantur.

CAPVT II

De Principiis Actionum Humanarum.

I. Actionum Humanarum Principia numerantur duo: *Intellectus* & *Voluntas*; qvas facultates Creator O. M. homini præ brutis conceſſit, ut veluti prælucente intelle-

tellectu, ac decernente voluntate, actiones suas suscipiat.

II. *Intellectus* est facultas animæ rationalis, qvæ objecta, sive res oblatas, comprehendit ac dijudicat. Hinc in qvolibet homine maturæ ætatis, mentisqve integræ, (etiam post lapsum) tantum superest luminis naturalis, ut adhibita cultura & meditatione debita, saltem generalia Juris naturalis principia, & qvæ, ut honesta, facienda, ut turpia, fugienda sint, comprehendere ac discernere possit. Absq; hoc enim si foret, qvilibet delictis suis ignorantiam invincibilem obtendere in foro posset.

III. Præcipua Intellectus circa actiones ad Legem componendas operatio est *Conscientia*. Vnde hæc definitur, qvod sit judicium intellectus circa actiones morales proprias, qvatenus hic cognitione legum est imbutus. Estqve vel de *Faciendo*,

vel

vel de *Facto*: illa *Antecedens*, hæc *Consequens*, appellatur.

IV. Conscientia *Consequens* est illud intellectus judicium, quod factum consequitur, & hominem, prout bene aut male egit, delectat vel contristat; unde is bene vel male sibi conscius dicitur. *Bona* ejusmodi Conscientia Felicitatis, *Mala* Infelicitatis humanæ est adjunctum.

V. Hic vero spectatur *Conscientia* de Faciendo seu *Antecedens*, istud intellectus judicium, quod factum antecedit, dictans quid bonum vel malum, & ideo agendum vel omittendum sit. Estque (ut alias species sileam) Recta vel Erronea, Certa vel Probabilis, Scrupulosa & Dubia.

VI. *Recta* Conscientia est, quæ conformis est legi, ac recte judicat, hoc faciendum vel omittendum. Secundum hanc qui agit, recte agit; contra vero eam qui agit, peccat.

Erro-

Erronea est difformis legi; qvando intellectus errore occupatus falso de agendis judicat. Vbi, si error est de re per se mala, peccat tam qvi contra, qvam qvi secundum hanc conscientiam agit. Vbi vero error est de re indifferenti, non peccat, qvi secundum eam agit; peccat vero, qvi contra eam agit.

VII. *Certa* Conscientia oritur ex scientia, & judicat ex argumentis evidentibus & apodicticis, hoc esse faciendum aut omittendum. *Probabilis* oritur ex opinione, judicans ex argumentis dialecticis, & auctoritate aliorum. Contra utramqve qvi agit, peccat. Est tamen peccatum contra conscientiam Probabilem levius, contra Certam, gravius.

IIX. *Scrupulosa* est intellectus fluctuatio sive judicium cum anxietate & formidine conjunctum, ne forte id ipsum malum sit, qvod bonum aliqvis

qvis existimaverit, & contra. Qvando scrupulus probabilibus argumentis nititur, actio erit suspendenda, donec solidis eximatur rationibus: si autem ex levi qvadam superstitione oritur, negligendus est, atqve animo ejiciendus. *Dubia* est, cum quis dubitat & nescit, utri contradictionis parti adhærendum, & utrum actio licita sit, nec ne? Hac cum conscientia qvi agit, peccat.

IX. B. Jac. Thomasio Conscientia Recta similis videbatur Testi vero, Erronea falso, Certa oculato, Probabilis aurito, Scrupulosa varianti, Dubia nescienti.

X. *Ignorantia* est privatio sive absentia cognitionis in intellectu, circa actionem aliqvam suscipiendam aut omittendam. (De qva inferius dicentur plura.) *Error* est intellectus non solum cognitione veri destitutus, sed & ejus loco falsa persvasione imbu-

imbutus. (Nonnullis *hic* vocatur Ignorantia pravæ diſpoſitionis; qvemadmodum *illa* Ignorantia negationis.)

XI. *Voluntas* eſt facultas animæ rationalis, hominem velut intrinſeco impulſu determinans, ut agat, qvod ſibi arridet; omittat, qvod ſibi non convenire videtur. Habet a Voluntate homo, tum qvod *ſponte* agat, h.e. ut per principium intrinſecum citra coactionem ad agendum determinetur, & actionis ſuæ ipſe auctor ſit: tum ut *libere* agat, h.e. ut uno objecto propoſito, poſſit agere vel non agere; idemqve eligere vel reſpuere; (qvæ *Libertas Contradictionis* ſeu *Exercitii*) aut pluribus objectis propoſitis, poſſit unum eligere, cætera reſpuere (qvæ *Libertas Specificationis* ſeu *Contrarietatis* appellatur.)

XII. *Vel-*

XII. *Velle* autem qvis dicitur non tantum id, qvod ipse facit Physice, seu cujus caussa physica est; sed etiam, cujus caussa moralis audit: h. e. qvod jubet, svadet, laudat, participat &c. secundum versum in Scholis notum:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
participans, mutus, non obstans, non manifestans.

XIII. Voluntatis Objectum non solùm est *Bonum*, qvod eligit ac proseqvitur, (uti vulgo docent) sed & *Malum*, qvod respuit & aversatur. Imo versatur Voluntas non tantum circa Malum aversandum, sed & appetendum & optandum alteri, v. g. hosti. Aliàs nihil nobis volumus & appetimus, nisi sub ratione Boni.

XIV. Voluntas (1.) alia est *Plena*, qvæ locum habet in actionibus mere-spontaneis; alia *Non-Plena*, in actio-

actionibus mixtis: (2.) alia est *Efficax*, qvæ non solum vult finem, sed & media; uti studiosus ita vult eruditionem, ut magno etiam studio multisqve vigiliis ad eam adspiret; alia *Inefficax* & solius complacentiæ, qvæ vult qvidem finem, sed non media; sicut ignavi nonnulli volunt qvidem eruditionem ac honores, sed media, nempe vigilias & labores, aversantur.

CAPUT III.

De Norma Actionum Humanarum.

I. NOrma Actionum Humanarum Directiva est *Lex*. Hinc ab utroqve Grotio *Lex* describitur, qvod sit regula actionum moraliũ, obligans ad id, qvod rectum est. Pufendorfio Lex est decretum (sive jussum

jussum ac præceptum) qvo superior sibi subjectum obligat, ut ad istius præscriptum actiones suas componat.

II. Est vero *Obligatio* qvalitas moralis passiva, per qvam qvis præstare vel pati qvid tenetur. Injicitur per eandem, qvasi vinculum aut frænum qvoddam morale nostræ agendi libertati, ut in diversam, qvam qvo illa ducit, partem tendere recte non possimus.

III. Nemo autem sibi ipsi obligari potest: qvia semper obligationem remittere sibi posset. Sunt vero justæ caussæ alterum obligandi, non solæ vires malo aliqvo affligendi delinqventem, sed & insignia beneficia in aliqvem collata: & si qvis ultro alteri sese subjecit, inqve ipsius directionem sive imperium consensit.

IV. Lex respectu auctoris, dividitur in *Divinam* & *Humanam*: illa a

Deo

Deo est; hæc ab homine imperante, per promulgationem, fertur. Lex divina dividitur in *Naturalem* & *Positivam;* illa pro objecto habet actiones cum natura hominis rationali necessario convenientes, aut eidem repugnantes: Positiva, actiones eas, qvæ cum natura hominis necessario non conveniunt, nec ei necessario repugnant. De Lege Naturali postea agemus.

V. *Positiva* itaqve est Lex Divina hominibus per revelationem publicata, ea, qvæ necessariam connexionem cum hominis natura rationali non habent, determinans. Dividitur in *Universalem* & *Particularem*. Lex Divina Positiva *Universalis* est, qvæ publicata fuit omnibus hominibus, vel certe personis totum genus humanum repræsentantibus. *Particularis* est, qvæ lata fuit populo Judaico. Illius exempla sunt v. g. Præ-

Præceptum Adamo de arbore vetita datum, item de Polygamia & divortiis vitandis in primæva Conjugii institutione; nec non præcepta N. T. de Credendis & Agendis, omnes etiam homines obligantia; cum Apostoli jussi fuerint, ut prædicarent ea omni creaturæ, sive populis universis. Particularis exempla sunt Leges Ceremoniales & Forenses, ad gentem Ebræorum olim restrictæ, qvæ adventu Christi, & exstincta rep. Judaica, exspirarunt, adeoqve neminem hodie obligant.

VI. Leges *Humanæ* omnes, presse acceptæ, *Positivæ* sunt; qvarum præcipuæ Jus Civile constituunt; qvæqve ab iis, qvi summum in civitate imperium tenent, proficiscuntur; obligantes subjectos ad faciendum id, qvod imperatur, & omittendum, qvod interdicitur, prout utilitas felicitasqve Civitatis id exigit.

Hinc

Hincpro diversitate gentium & civitatum variare solent.

VII. Qvemadmodum autem Leges Humanas Positivas, qvæ & Civiles appellantur, JCtis, ac Leges Divinas Revelatas Theologis interpretandas relinqvimus: ita heic loci doctrina de Lege Naturali est pertractanda, ac de Officiis cum natura humana ita congruentibus, ut citra illa, honesta & tranqvilla societas humano generi constare neqveat.

IIX. Et vero *Lex Naturæ* est Lex Divina, qvatenus citra peculiarem revelationem, ex consideratione naturæ præsertim Dei atqve Hominis cognosci potest; perspecta videlicet relatione hominis ad Deum Conditorem, & inde collecta hujus intentione, actiones humanas præcipiendi aut prohibendi.

IX. Nonnulli statuunt actualem *Legis hujus inscriptionem* in cordi-

 bus

bus hominum, ob textum Rom. II. 15. Verum per Inſcriptionem illam non denotatur notitia Legis Naturalis ab ipſa nativitate actu nobis indita; ſed potentia proxima illam cognoſcendi, & eam, qvamprimum ætas adeſt maturior, & debita adhibetur induſtria, promte ac liqvido intelligendi; nec non penitior notitiæ hujus impreſſio, ac firmior inhæſio. Conf. Jer. XXXI. 33.

X. Qvod DEUS ſit auctor ſive lator Legis Naturæ, & qvalem Naturæ legem is tulerit, inde intelligitur, qvia Deus hominem creavit, eumqve ita formavit, ut præceptorum moralium intelligendorum ſit capax, & citra piam, tranqvillam ac ſocialem vitam genus humanum ſervari neqveat. Unde porro conſeqvitur, qvod Deus, qvi vult finem, humani videlicet generis tranqvillitatem, voluerit etiam media, ſine qvi-

qvibus finis ille neqvit obtineri. (De cætero Deum Legis Naturæ auctorem esse, affirmat Apostolus Rom. I. 19. II. 14. 15.)

XI. Frustra se torqvent, qvi unum aliqvod, idqve omnium primum Juris Naturalis Principium qværunt, qvod cuncta Officiorum genera sub se complectatur. Etenim tres diversi sunt termini, sive tria objecta, ad qvos tendunt, & circa qvæ occupantur actiones humanæ, nempe *Deus, Homo ipse, & alii Homines.* Vnde tria generalissima, & in suo qvoqve genere prima, resultant principia: *Cole DEVM, Ama teipsum, Ama proximum!* Sive: Vive erga Deum pie ac reverenter, erga te ipsum temperanter, erga alios homines socialiter ac innocenter! Cui sententiæ propius accedunt, qvi fundamentum Juris Naturæ constituunt in Amore Dei & Proximi, qvem

 dili-

diligere debemus ut nos ipsos; sive in Decalogo. E qvorum numero est G. Calixtus in Theol. Moral. & Bœclerus in Comment ad Grotium p. 4.

XII. Vbi commode notandum, pleraqve omnia Legis Divinæ *Moralis* sive *Decalogi* præcepta esse Juris Naturalis; præter illud de prava concupiscentia, qvam S. Paulus Lege Naturæ vetitam esse, absqve revelatione ignorabat. Rom. VII. 7. Ac licet naturaliter nota sint præcepta Decalogi, nihilominus voluit Deus Legem Moralem publice ferre per Mosen in populo suo, ut conspectior esset regula morum edita voce divina; maxime cum Lex Naturæ jam pæne in animis hominum per peccatum esset obliterata.

XIII. Ex dictis patere opinor, tutissimum fore, *Fundamentum* Legis Naturæ constituere in Cultu atqve Amo-

Amore Dei, Nostri, & Proximi, cum qvo socialiter vivendum. Solam vero *Socialitatem* Juri Naturæ tanqvam fundamentum substernere, opus est aleæ periculosæ plenum; iisqve forte permissum, qvi, cum veteribus, unam tantum Jurisprudentiæ Naturalis partem tractare satagunt, eam videlicet, qvæ Officia Hominis erga alios homines exponit.

XIV. Qvodnam inter Leges Naturales & Positivas Divinas intercedat discrimen, jam in præcedente Aphor. IV. capitis hujus dictum est. Hæ versantur circa actus, qvi non necessario præcipi aut vetari debebant: illæ vero circa actus, qvi necessariò debuerunt præcipi aut vetari. Vnde Leges Naturales *Dispensationem* non admittunt; ac stante natura rerum, præsertim Dei & Hominis, sunt immutabiles; nisi qvod aliqvando status, in qvo Lex Naturæ

fundatur, mutetur, cumqve eo adeo cesset lex ad eum respiciens. Notæ qvidem sunt objectiones nonnullorum, ratione potissimum Dispensationis, de mandata Isaaci occisione, de ablatione vasorum Ægyptiacorum &c; sed actus isti a Deo præcepti, non fuerunt homicidium aut furtum, Lege Naturali prohibita; adeoqve confunditur a dissentientibus mutatio Status vel Objecti, cum mutatione Legis.

XV. Jam igitur, tum hoc loco, tum ad Caput præcedens, ubi de Conscientia, & præcipuis ejusdem Speciebus, egimus, notandum, qvod Norma Actionum nostrarum, nostræqve Conscientiæ Regulæ sint (1.) Leges Naturæ, sive Lumen mentis nostræ; (Luc XII. 57. Rom. II. 14. 15.) (2.) Scriptura sacra, ad qvam, ut normam, Christianis sedulo est respiciendum. (3.) Leges Positivæ

Impe-

Imperantium, Legibus divinis tam Naturæ qvam Scripturæ non repugnantes. (Rom. XIII. 5.) Conferatur hìc Robert. Sanderſ. Tract. de Conſcientia, Prælect. IV, §. XII. ſeqq. ac XX, ubi propriam & adæqvatam Conſcientiæ & Actionum noſtrarum regulam conſtituit Voluntatem Dei, qvalitercunqve hominibus revelatam.

CAPUT IV

De Actionum Humanarum Affectionibus, ratione Principiorum conſideratis.

I. DIviduntur Actiones Humanæ vel ratione *Principiorum*, unde proficiſcuntur; vel ratione *Normæ*, ad qvam ſunt conformandæ. Ratione Principiorum diſpeſcuntur in *Voluntarias* ſive *Spontaneas*, *Invitas* & *Mixtas*. Actio *Voluntaria* ſeu Spontanea eſt, cum qvis agit ſciens & volens. Reqviruntur

 ergo

ergo duo ad illam: (1.) Notitia omnium, aut saltem præcipuarum, actionis circumstantiarum, qvæ vulgato continentur versu: Qvis? Qvid? Vbi? &c. (2.) Assentiens Voluntas. Inde illud Germanorum: **Er hats mit Wissen und Willen gethan.**

II. Actio *Invita* est, cum qvis agit nolens vel ignorans. Estqve adeo duplex: vel enim fit per Vim, & Violenta dicitur; vel per Ignorantiam, & Imprudens appellatur. *Violenta* est, qvæ fit a principio externo, contra agentis (vel patientis potius) voluntatem; ut cum Lucretia a Sext. Tarqvinio per vim stupratur. Dicitur actio hæc etiam, ratione impellentis proprieqve agentis, *Coacta*; ratione patientis, *Invita*.

III. Actio *Imprudens* vocatur, qvæ provenit ab agente, circumstantiarum qvarundam ignaro. Estqve

qve vel Ἐπίλυπος, qvam seqvitur dolor ac pœnitudo : sic Adrastus, vibrato in aprum jaculo, Crœsi filium frustrato ictu interemit. Qvod factũ cum Adrastus vehementer doleret, seqve super exanimati cadaver mactandum offerret, a Crœso hoc responsum tulit : *Neqve tu hujus mihi cladis auctor es, nisi qvatenus id fecisti imprudens ; sed Deorum qvispiam, qvi jam mihi ventura significavit.* Alia est ἄλυπος, qvam non seqvitur dolor ac pœnitentia : qvalis narratur de qvodam apud Plutarchum qvod, cum lapidem vibrans, in canem, novercam percussisset, dixerit: Euge, ne sic qvidem male!

IV. Differunt inter se *Agere per Ignorantiam*, & *Agere Ignorantem*. Priore modo agenti ignorantia princeps actionis caussa est; sic Jacob concubuit cum Lea, existimans se cubare cum Rachele. Posteriore

modo agenti alia est actionis causs principalis, cum qva tamen Ignorantia concurrit: ut si qvis profunde ebrius alterum vulnerat aut obtruncat. Hac cum distinctione convenit ex parte ista, qva Ignorantia dividitur in Efficacem & Comitantem. *Efficax* est, absqve qva si fuisset, non suscepta esset actio: e. g. si qvis consangvineam in matrimonium ducat nescius. *Comitans* est, qvæ licet abfuisset, actio tamen suscepta fuisset: velut si qvis hostem interficiat ignorans, qvem & sciens interemtum cuperet.

V. Qvid sit Ignorantia *Juris* & *Facti*, ex Compendiis Ethicis innotescit. Est vero *Ignorantia Juris Voluntaria*, cum qvis legem, cujus addiscendæ caussam & occasionem habuit, ignorat. Estqve vel Juris *Universalis*, sive Legis Naturalis aut Moralis, cujus præcepta, saltem generalia, per sum-

ſummam ſuam evidentiam, nullius hominis, ratione ſua utentis, notitiam effugiunt. Vel eſt Juris *Particularis*, Humani & Civilis; cujus tenorem ſcire tenentur ac poſſunt, qvi in ſocietatem civilem, legum imperio retinendam, coiverunt. Talis eſt ignorantia Legum Academicarum in ſtudioſo. *Ignorantia Facti Voluntaria* eſt, cum qvis factum, hujusve circumſtantiam ignorat per negligentiam, cum noſſe deberet ac poſſet. Sic qvi lapide per feneſtram projecto (eum in locum, ubi & qvando præterire ſolent homines) feriret prætereuntem, factum male excuſaret, dicendo, ſe ignoraſſe qvempiam præteriturum. Vtraqve vocatur Ignorantia *Vincibilis* atqve Culpabilis.

VI. Contra *Ignorantia Juris Involuntaria* eſt, ubi qvis nulla ſua culpa Jus, puta Particulare, ignorat. Ita

Suetonius de Caligula Vit. c.41. scribit, qvod Legem qvidem proposuerit, sed & minutissimis literis & angustissimo loco, uti ne cui describere liceret. *Ignorantia Facti Involuntaria*, cum qvis factum qvalecunqve ejusve circumstantiam ignorat, cum scire nec posset nec deberet. Talis fuit in Abimelecho Genes. XX. 5. qvi, si cognovisset Saram Abrahami esse uxorem, animum ad ducendam illam neutiqvam applicuisset. Utraqve sæpius vocatur Ignorantia *Invincibilis*.

VII. Actio *Mixta* dicitur ejus, qvi incumbente graviore necessitate aliqvid, ut minus malum, eligit ac suscipit, a qvo cæteroqvin extra necessitatem constitutus vehementer abhorrebat. Notum est exemplum de jactu mercium in mare, exorta tempestate: aut si Rex belligerans partem provinciarum cedat victori; qvia

qvia metuit, ne totum amittat regnum. Tales actiones Voluntariis sunt similiores; ac *Mixtæ* dicuntur, qvia ex parte Vis, ex parte Voluntas, in iis locum habet.

CAPUT V

De Actionum humanarum Affectionibus ratione Normæ consideratis.

I. Actio humana, si ad legem referatur, alia est *Necessaria*, qvam lex præcipit aut vetat; alia *Non-necessaria* vel *Licita*, qvam lex nec præcipit nec vetat. Hæc vel est *Perfecte Licita*, utpote qvæ nullis legibus divinis aut humanis est præcepta aut prohibita; vel *Imperfecte-Licita*, qvæ talis est, saltem per leges civiles & humanas, non vero per divinas; aut contra. Sic immoderato potu obrui, hodie multis in locis abit impune. Hæc & *abusive Licita* appellatur. *Illicita* actio est, qvæ fit contra legem. II

II. Dein Actio alia *Bona* est, qvæ cum lege congruit; alia *Mala*, qvæ a lege discrepat. Sed ut Actio vere Bona sit, necessum est, ut omni ex parte, sive secundum omnes circumstantias, & ex Proæresi, cum lege conveniat: ut Mala sit, sufficit, si ex una tantum parte deficiat. Hoc est, qvod alii dicunt: Bona actio debet esse materialiter & formaliter Bona; Mala actio, etsi materialiter Bona, formaliter tamen Mala esse potest; ac vice versa: ut si qvis concumbat cum uxore, putans esse ancillam; aut si qvis corium furetur ad donandos pauperibus calceos.

III. Cæterum uti Actio, ita *Omissio* alia *Bona* est, qua omittitur actio mala, occasione perpetrandi oblata, ex studio obediendi legi. Sic Joseph ab aliena abstinuit uxore. Omissio *Mala* est, qva omittitur actus lege præceptus, qvem per occasionem

aut

aut facultatem præstare possis; ut cum parentibus aut magistratui honor debitus non exhibetur.

IV. Præterea Actio alia est Justa, alia Injusta. *Justa* est, qvæ ex proæresi applicatur ad personam, cui illa debetur. Differt a Bona in eo, qvod hæc solum cum lege congruat; Justa insuper respectum involvat ad eos, in qvos actio exercetur. *Injusta* actio est, qvæ ex proæresi prave applicatur ad personam, cui diversa debebatur; aut qvando denegatur alicui, qvod ipsi debebatur. Sive secundum Pufendorfium: Injusta actio vel infert, qvod inferre non debebat; vel aufert, qvod auferre non debebat; vel denegat, qvod tribuere debebat. Hic distingvatur inter *Justitiam Actionum*, qvæ est recta earum applicatio ad personam, cui illa debetur; & inter *Justitiam Personæ*, qvæ, secundum Vlpianum, est con-

conſtans & perpetua voluntas jus ſuum cuiqve tribuendi.

V. Juſtitia communiter dividitur in Vniverſalem & Particularem. *Vniverſalis* eſt exercitium cujuscunqve officii erga alios, tum ejus, qvod jure imperfecto, tum illius, qvod jure perfecto alteri debebatur. *Jure Imperfecto* qvid debetur, qvod qvidem alter poſtulare poteſt, ſed non per vim naturalem, aut per actionem civilem exigere. e.g. Conſilium, Beneficium &c. *Jure Perfecto* qvid debetur, qvod per vim in ſtatu naturali, aut intentata in foro actione in ſtatu civili, exigi poteſt; ut Reſtitutio rei ablatæ.

VI. *Juſtitia Particularis* eſt, cum exhibetur alteri, qvod jure perfecto ipſi debetur. Eaqve dividitur vulgo in *Diſtributativam* & *Commutativam*. Illa nititur pacto inter ſocietatem & membra inito, circa parti-

participandum pro rata lucrum & damnum. Hæc nititur contractu bilatere potissimum circa res & actiones in commercium venientes. In Justitia Distributiva Æqvalitas ut plurimum comparata, in Commutativa Æqvalitas simplex est observanda. *Contractus bilateres* dicuntur, ex qvibus utraqve contrahentium pars obligatur; ut sunt Emtio Venditio, Locatio Conductio.

CAPUT VI.

De Imputatione Actionum Humanarum.

I. Actionum humanarum, qvæ ab Intellectu & Voluntate proficiscuntur & diriguntur, præcipua qvoqve affectio est *Imputabilitas*; h. e. qvod actiones illæ homini possint imputari, seu qvod homo pro

pro earum auctore recte possit haberi, ac ad reddendam de iis rationem adstringi; qvodqve in ipsum redundent effectus, qvi ex illis proveniunt.

II. Notentur hîc *regulæ* duæ *generaliores*: (1.) Qvæcunqve penes hominem sunt, ut fiant vel non fiant, ea ipsi possunt imputari; & qvidem vel gravius, vel levius, prout Voluntas ejus magis vel minus concurrit ad actionem; (2.) Id, qvod neqve in se, neqve sua caussa penes aliqvem fuit, non potest ipsi ex debito imputari; recte tamen ex gratia.

III. Observentur & seqventes *regulæ speciliores*: (1) Imputari non possunt, qvæ qvis coacte patitur aut agit. Talia enim ad illum moraliter pertinere intelliguntur, qvi vim intulit; & qvi ista excepit aut exse cutus est, rationem duntaxat objecti aut instrumenti physici habet. (2) Qvæ per Ignorantiam aut Errorem Invincibi-

cibilem patrantur, imputari non possunt. (3.) Ignorantia vero, ut & error, circa leges & officium cuiqve injunctum, ab imputatione non liberat. (4.) Non potest alicui imputari, qvod non præstiterit ea, qvæ vires ipsius excedunt, neqve per eas prohiberi aut effici qveunt: modo illa impotentia per culpam nostram non sit contracta. Hinc tritum illud: Impossibilium (tam physicè qvam moraliter talium) nulla est obligatio. (5) Non possunt imputari, qvæ qvis in somniis agere sibi videtur, nisi diurnis cogitationibus ansam dederit. (6.) Eorum, qvi rationis usu destituuntur, actiones ipsis haud imputantur.

IV. Porro imputari homini solent ac possunt non propriæ solum, sed & alienæ actiones, ad qvas qvis aliqvo modo efficaciter concurrit, vel agendo & omittendo id, qvod agere pote-

poterat ac debebat. Eaqve imputatio diversos habet gradus, prout qvis est aut caussa principalis, aut socia, aut minus principalis alienæ actionis.

V. Qvæ qvis tanqvam nudum instrumentum ex debito agit, non ipsi, sed caussæ efficienti imputantur. Ita non carnifici imputatur decollatio parricidæ, sed jubenti magistratui. Plura de his aliisqve regulis circa Imputationem Actionum Humanarum observandis vid. ap. Pufend. de O. H. & C. Lib. I. versus fin. & de J.N.& G. Lib. V. c. I. §. 5. 6 & seqq.

CAPUT VII

De Officiis Hominis erga Deum.

I. POstquam Actionum Humanarum indolem, & qvæ ad earum

earum Moralitatem æstimandam faciunt, breviter exposuimus, seqvitur nunc, ut, ordine supra aphor. V. cap. I. constituto, ad singula Hominis Officia, secundum Legem Naturæ ipsi incumbentia, descendamus, & ad qvamlibet horum classem Virtutes Morales reducamus.

II. Est verò Officium actio humana ad præscriptum legis recte attemperata. Divisio Officiorum commodissime instituitur secundum Objecta Personalia, erga qvæ illa sunt exercenda. Vnde triplicia hominis Officia, qvædam erga DEVM, qvædam erga SEIPSVM, qvædam erga ALIOS HOMINES resultant.

III. Officium Hominis erga Deum, qvantum qvidem ex naturali ratione investigari potest, duabus partibus absolvitur, tum ut de Deo recte sentiamus, tum ut a-

ctio-

ctiones nostras ad ipsius Voluntatē per Legem Naturæ significatam, componamus. Lipsio I. Politic. cap.2. partes hæ duæ dicuntur, Rectus de Deo sensus, & Rectus in Deum cultus.

IV. Sentiendum itaqve & credendum est omni homini, (1.) *DEVM existere;* id qvod ex subordinatione caussarum, ex motu & contemplatione machinæ hujus mundanæ, similibusqve argumentis clare cognoscitur. (2.) *Deum esse Universi hujus Conditorem.* Cum enim ex ratione manifestum sit, res omnes creatas, non extitisse a se ipsis, oportet, ut eædem summam aliqvam caussam habeant; qvam non debemus appellare *Naturam*, qvatenus per hanc intelligitur vis & efficacia agendi, qvæ in rebus conspicitur: hæc namqve ipsa auctorem sui, Deum, omnino arguit; neqve *Animam mundi*

mundi; qvia anima non nisi pars corporis est; Deus autem est Ens perfectissimum: adeoqve pleno ac recepto Dei nomine utendum. (3.) *Deum tum in universum mundum, tum in genus humanum regimen exercere*; qvia enim omnia conservantur in admirabili constantiqve ordine, patet esse Conservatorem & Rectorem; qvi nemo potest esse alius, qvam Creator Deus. (4) *Nihil Deo attribui, aut de eo prædicari posse, qvod aliqvam imperfectionem involvat.* Add. Lips. Polit. Lib. I. Cap. 2.

V. Cognitionem Cultus seqvitur. Est enim prius, Deum cognoscere, conseqvens colere. Cultus vero Dei est vel Internus, vel Internus & Externus simul. Internus est tantum in animo, & consistit in Dei amore, veneratione, timore, spe in eum, acqviescentia circa dona & decreta ejus

jus; & in omnibus eidem obseqvendi studio. Nempe enim *Amandus* est Deus, ut omnis boni auctor, ipseqve Optimus, & Summum Bonum nostrum; *Venerandus*, qvia cum summa ejus Bonitate summa qvoqve Potentia & Majestas est conjuncta; *Timendus*, qvia est Omniscius, Justus & Omnipotens; adeoqve cavendum, ne peccatis nostris eum offendamus, ejusqve iram in nos provocemus. *Sperandum* in eum, cum ab illo in futurum qvoq; omnis nostra felicitas dependeat. In ejus Voluntate *acqviescendum*, ut qvi pro Sapientia ac Bonitate sua omnia facit optime, nobisqve dat, qvæ maxime expediunt. Ei deniqve, ut Creatori, Domino ac Rectori O.M. *obseqvium* semper *præstandum*.

VI. Internus & Externus simul fit mente pariter ac voce, gestu & actionibus: videlicet Invocatione &

Pre-

Precibus; Gratiarum actione pro tot bonis ab eo acceptis; Celebratione publica & privata; considerato de eo loqvendi modo; deniqve Vitæ & Legum Naturalium observantia

VII. Revocanda nunc sunt Officia hæc ad certas Virtutes. Vnica qvidem virtus est, qvæ circa Numinis sensum & cultum versatur, nempe *Pietas.* In hac tamen, tanqvam Toto, virtutes plures, veluti Partes Potentiales, comprehenduntur; ut, Cognitio Dei, Dilectio Dei, Veneratio ac Timor Dei, Spes ac Fiducia in illum collocanda; dein Precatio, Gratiarum actio & Celebratio Nominis divini, Religiositas & Obedientia.

IIX. Pietati opponitur *Impietas*, qvæ de Numine non recte sentit, nec illud rite colit. Cognitioni speciatim opponitur *Atheismus*, qvi Deum plane tollit; *Polytheismus*, qvi plures

N Deos

Deos inducit; *Epicureismus*, cum de Dei providentia dubitatur. Cultui divino contrariantur *Deismus*, qvi Deum admittit, sed non colit; *Idololatria*, qvæ rebus creatis divinos honores tribuit; *Superstitiositas*, qvæ Deum qvidem colit, sed perverse, cumprimis per ineptum timorem &c.

CAPVT IIX

De Officiis Hominis erga Se ipsum.

Erga Se ipsum homo ex præscripto legis Naturalis ita se gerere debet, ut rebus, qvibus ad sui conservationem indiget, *ordinate* utatur. Enimvero licet homo magno impetu ad sui conservationem feratur; Obligatione tamen opus fuit, (1.) qvia aliqvando eum cupido se destruendi incedere potest; (2.) qvia homi-

homines mediis, qvibus se conservare possunt, sæpius aliter utuntur, qvam iis uti debent. Objectio, Neminem sibi ipsi obligari, lócum hic minime invenit; qvia obligatio hominis erga se ipsum, non provenit ab homine ipso, sed a Deo. Velle autem Deum, ut homo vitam suam conservet, exinde probatur, qvia Vita est fundamentum omnis felicitatis humanæ. Deus ergo, dum vult, ut homini bene sit, vult etiam, ut vivat. Accedit, qvod homo vitam sibi non dederit; Ergo eandem pro lubitu dimittere neqvit.

II. Cum vero homo duabus constet partibus, *Anima* & *Corpore*, ante omnia respectu utriusqve aureum illud commendatum sibi habeat, *Nosce te ipsum!* Qvod præceptum non ad solam animam, sed totum hominem pertinet. Ad *Animam* igitur speciatim qvod attinet,

qvoniam hæc nobilior est hominis pars, per qvam a bestiis differt, mens sive animus imprimis est excolendus (*a*) Cognitione divini Numinis ac vera Religione; singillatim vero (*b*) *Intellectus* a præjudiciis, erroribus, præcipitantia liberandus; Conscientiæ cura gerenda; studia bonarum artium & disciplinarum, qvarum usus in vita humana necessarius est, studiose tractanda, (*c*) *Voluntatis* cura minime negligenda, sed a pravis propensionibus illa purganda, & amore Virtutis mature imbuenda; (*d*) *Affectus*, qvi multum ad vigorem animi, & prudentiam conservandam faciunt, ita regendi, ut Ratio præsit, Appetitus obtemperet. (*e*) Eligendum etiam tempestive, pro virium nostrarum habilitate, & natalium conditione, honestum artis ac vitæ genus, in qvo utile aliqvando societatis humanæ membrum

brum esse qveamus. Deniqve (*f*) Opinio boni Viri diligenter tuenda, ac fama nostra per calumniam aliorum læsa, qvantum possibile, Virtutum præsertim studio, nitori suo restituenda.

III. Cum vero Animus fulturis *Corporis* sustineatur, curandum est, ut sit mens sana in corpore sano; sive (*a*)*Valetudinis* cura habenda; atqve (*b*)imprimis vitanda ingluvies, ebrietas, improba immodicaqve Venus, iræ, aliarumqve perturbationum vehementia; (*c*) sectandum honesti laboris studium, ut suppetant, qvæ ad victum & amictum, adeoqve ad famem, sitim ac frigora propulsanda pertinent. (*d*) *Vita* deniqve ipsa (qva sublata, unio corporis cum anima tollitur) custodienda, eaqve non pro lubitu abrumpenda; sed expectandum, donec evocemur ab eo, qvi nos hac in statione collocavit.

IV. Qvi igitur directe & cum intentione, vel tædio molestiarum, vel metu dolorum, vel per vanam fidei aut fortitudinis jactantiam, ipsi, vel ministerio aliorum, vitam suam projiciunt, in Legem Naturæ utiqve peccant: non vero ii, qvi indirecte & absqve intentione illam minuendi aut abrumpendi, ea agunt, qvæ officii & stationis, in qva a summo Imperante collocati sunt, ratio postulat, & v. g. per militiam, studia literaria, navigationes, variisse periculis, unde forsan vita brevior seqvatur, exponunt. Cum enim non nobis solis vivamus, sed Deo & societati humanæ; inde si vel gloria Conditoris, vel societatis humanæ salus, vitam nostram qvasi deposcat, eam ad usus istos libenter impendamus; candelæ instar ardentis, cum lemmate: Aliis inserviendo consumor.

VQvod

V. Qvod de plena Αὐτοχειρίᾳ valet, id de *Mutilatione membrorum*, præsertim eorum, qvorum usus in vita necessarius est, æqve procedit. Ea enim, cum a solo Deo in usus qvotidianos habeamus, non possumus nos iisdem privare. Neqve corpus nostrũ, canis instar rabiosi, dilaniemus ac mutilemus, sed exigente necessitate, & jubente recta ratione, pro salute reip. faciles illud deponamus.

VI. Vnde colligere licet, *Defensionem tum vitæ, tum membrorum* nostrorum incolumitatis, adversus invasorem violentum, etiam cum hujus nece conjunctam, licitam esse. Pertinet huc illud Ciceronis: *Generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam, corpusqve tueatur, declinetqve ea, qvæ nocitura videantur*. I. Offic. Debet vero defensio ista suscipi cum moderatione ali-

qva, ne ſcilicet plus nobis vindicemus, qvam revera licet. Hinc vocatur *Moderamen inculpatæ tutelæ*; qvod qvatuor ſeqventia reqvirit: (1.) Invaſionem, ſive ut qvis ab adverſario per violentiam ſit invaſus; (2) Præſentaneum vitæ periculum ex illa invaſione: (3) ſi auxilium magiſtratus, ob defectum temporis, implorari non poſſit, adeoqve impoſſibile aut difficile ſaltem ſit effugium; (4) ſi defenſio hæc fiat in continenti, & nulla interpoſita mora; neqve tunc demum, cum aggreſſor jam fuerit depulſus, aut ultro receſſerit, aut gladius ejus ſit fractus, ita, ut nocere nobis amplius neqveat. Deniqve defenſio hæc fiat non animo vindictæ cupido, ſed ſalutis propriæ unice ſtudioſo, vitæqve & incolumitatis conſervandæ cauſſa.

VII. Neqve vero defenſionem tantum ſuſcipere licet adverſus eum, qvi

qvi dolo malo, sed & illum, qvi *per errorem* exitium mihi intentat, puta furiosum; aut qvia me alium, cum qvo inimicitia ipsi intercedit, crediderit. Nam sufficit, qvod alteri non sit jus ad me invadendum aut occidendum; neqve in me sit obligatio ad mortem frustra & citra reluctantiam, obeundam.

IIX. Nec solum pro Vita, sed & *Membrorum incolumitate* talem defensionem suscipi posse, sub init. aph. præced. VI. monui. Nam & naturâ a mutilatione & gravi læsione maxime abhorremus; & mutilatio membri, præcipue nobilioris, interdum haud multo minoris, qvam ipsa vita, æstimatur. Neqve etiam, qvi in eo rerum articulo sunt constituti, qvodnam invadentis sit consilium, & qvæ qvalisve membrorum jactura futura sit, scire valent. Pro *rebus bonisqve fortunæ* tum demum de-

N 5 fen-

fensionem ejusmodi licitam esse puto, si nihil amplius, unde vivamus, nobis suppetat. *Pudicitia* vero, cum neutiqvam vitæ hominis sit æqviparanda, mea opinione, cum nece violatoris defendi neqvit. De *Honore*, cæterisqve rebus, qvæ ex hominum opinione pendent, idem censeo. Hinc *Duella* Juri Naturæ bonisqve legibus sunt contraria. Nemo certe jus habet, vel per se, vel per alium, vita se privandi, aut membra sua mutilandi.

IX. Qvid in *Casu Necessitatis*, in qvem homo incidere potest, liceat, Pufendorfius Lib. II. de J.N.& G. Cap. 6, erudite tradit. In ore omnium versatur πολυθρύλλητον illud: *Necessitas non habet legem!* Vbi tamen notandum, qvod necessitas id qvidem non efficiat, ut lex directe violari qveat, & peccatum admitti, sed ex benevola legislatorum mente simul-

mulqve humanæ naturæ considera-
tione præsumatur, casum necessita-
tis sub lege generaliter concepta non
contineri. v. g. Qvamvis aliàs homi-
ni non sit jus in membra sua, ut illa
pro lubitu mutilet perdatve; licebit
tamen abscindere membrum insa-
nabili vitio corruptum, ne pars sin-
cera trahatur, totumqve corpus pe-
reat. Sic in naufragio, ubi ego ta-
bulam occupavi duorum non capa-
cem, si qvis adnatans eidem se qvo-
qve injicere velit, me secum simul
perditurus, possum illum (nisi ad
eum habeam peculiarem respe-
ctum) qvavis violentia a tabula re-
pellere. Ita si qvando duobus fugi-
entibus hostis necem intentans in-
stat, unus vel ponte post se dejecto,
vel porta clausa, alterum in præsenti
vitæ periculo destituere potest, si u-
terqve servari neqveat. Plura exem-
pla vid. apud cit. Pufend.

X. Pleraqve hominis Officia erga ſe ipſum revocari poſſunt ad *Temperantiam*, h.e. ſtudium ad ductum rectæ rationis ſe conſervandi; qvem latiorem Temperantiæ ſignificatum uſus veterum omnino probat. Itaqve, ſecundum hactenus tradita, *Temperantia* alia erit *Intellectus* & *Conſcientiæ*, in rebus cognoſcendis & dijudicandis; alia *Voluntatis* & *Affectuum*; alia *Corporis*; alia circa *Bona Fortunæ*. Temperantia ratione Corporis, qvæ cibo ac potu recte utitur, vocatur *Frugalitas*; qvæ Veneri modum præſcribit, *Caſtitas*; qvæ laboribus, *Sedulitas*; qvæ ſtudium appetendi & conſervandi opes temperant, Αὐτάρκεια & *Parſimonia*; qvæ honores deniqve & horum appetitum moderatur, *Modeſtia*. Qvod ſi res adverſæ ingruant, *Fortitudine* opus eſt, Metus ac Fiduciæ moderatrice; (qvam & nonnulli pro ſpecie

Tem-

Temperantiæ habent) atqve ea qvidem, qvæ mala imminentia propulsat, appellatur *Fortitudo stricte* sic dicta; illa, qvæ incumbentia mala tolerat, *Patientia* vel *Tolerantia* nominatur.

XI. Temperantiæ mentis repugnat *Curiositas, vanarumqve Scientiarum Amor*; *Neglectus* item *conscientiæ* & *affectuum licentia* &c. Frugalitati opponitur *Ingluvies, Ebriositas*; *Libido*; Sedulitati *Otiositas* & *Morosa diligentia*. Τῇ Αυταρκείᾳ &Parsimoniæ *Avaritia* & *Prodigentia*; Modestiæ *Ambitio*; Fortitudini deniqve *Audacia* & *Mollities* adversantur.

CAPUT IX.

De Officiis erga alios homines, iisque Absolutis.

I. TOtum hominis Officium absolvitur, si erga Deum reverenter, erga seipsum temperanter, erga proximum seu alios homines innocenter ac socialiter se gerat. De generibus duobus prioribus, in præcedentibus actum est; nunc de tertio agendum.

II. Officia erga alios homines exercenda sunt vel Absoluta vel Hypothetica. *Absoluta*, qvæ citra omne antegressum humanum institutum omnes homines obligant. *Hypothetica*, qvæ certum statum adventitium, vel institutum per homines formatum aut receptum, præsupponunt. Sic multa sunt Juris Natura-

lis

lis præcepta, qvæ, nisi posito dominio rerum distincto, atqve imperio civili, non intelliguntur, neqve locum habent: ut Furtum non esse faciendum; Principi esse parendum &c.

III. Inter Absoluta primum vulgo constituunt istud: *Neminem læde!* Hoc enim ad vitam socialem absolute necessarium est; idemque facillimum, cum in nuda actionis omissione consistat. Scharrockius Lib. III. de Officiis, hanc Officii partem *Innocentiam* vocat. Conf. Ciceronem III. de Offic. *Legibus populorum constitutum est, ut non liceret sui commodi caussa nocere alteri; atqve hoc multo magis exigit ipsa natura ratio, qva est lex divina & humana; cui parere qvi velit, (omnes autem parebunt, qvi secundum naturam volunt vivere) nunqvam committet, ut alienum appetat, & id,*

qvod

qvod alteri detraxerit, sibi assumat; c. 5.

IV. Læditur vero aliqvis (1.) in *Corpore*, per verbera, vulnera, cædem &c. (2) ratione *Famæ*, per calumnias aut mendacia de altero sparsa. (3) in *Bonis*, per furtum, rapinam, fraudem, corruptionem. Læsio in Bonis a nonnullis *Damnum* dicitur: qvanqvam a Pufendorfio & aliis hîc *Damnum* tam late accipiatur, ut non solum rerum, sed & corporis, famæ, pudicitiæ, læsionem, corruptionem, diminutionem, sublationem aut interceptionem ejus, qvod ex jure perfecto debebamus habere, sive deniqve omissionem aut denegationem cujusvis officii debiti significet.

V. Cæterum ut aliqvis a me lædatur, aut damno afficiatur, fieri potest vel (1) per ἀδίκημα, *Injuriam* sive *Læsionem* proprie dictam, qvæ alteri dolo malo, aut destinato consilio infer-

infertur, eidemqve invito; cum volenti non fiat injuria, etiamsi rem patiatur injustam: vel (2) per ἁμάρτημα, *Erratum* sive *Culpam*, citra propositum qvidem, non tamen absq; negligentia sive culpa, leviore vel graviore: vel (3) per ἀτύχημα, *Infortunium* seu *Casum fortuitum*; sic, ut læsio ista recte nobis imputari neqveat. Deniqve pro Damnis a nobis datis ea qvoqve habentur, qvæ cooperantibus nobis per alios data sunt; imo & qvæ citra culpam aut proæresin nostram a servis aut animalibus nostris sunt profecta. Vid. Exod. XXI. 28. seqq. 33. seqq. & H. Grotius de J. B. & P. Lib. II. cap. XVII. & Lib. III. c. XI.

VI. Qvi vero alterum læsit, ad *Restitutionem* tenetur: frustra alioqvin Læsionem lex Naturæ prohiberet. Et primo qvidem is, qvi dolo malo damnum dedit, ad omnimodam

dam reparationem; tum damni directo dati, tum ejus, qvod inde consecutum est, tenetur. In statu naturali debet qvoqve cautionem de non amplius offendendo præstare: in civitate pœnæ insuper est obnoxius.

VII. Dein ad Reparationem tenetur, qvi citra propositum qvidem, per culpam tamen graviorem damnum intulit; cum hæc qvoqve non minima socialitas pars sit, ita circumspecte agere, ut conversatio nostra aliis non fiat formidolosa aut intolerabilis; & sæpe ex peculiari obligatione, qvis ad accuratam diligentiam adstringatur. Imo & culpa levior ad restitutionis necessitatem sufficere potest; si modo negotii natura exactissimam diligentiam non ultro velut aspernetur; aut illius magis, qui damnum accipit, qvam qvi dat, culpa versetur; aut nisi vehe-

mens perturbatio, vel negotii circumſtantia, accuratam circumſpectionem non admittat; v. g. ſi qvis in fervore pugnæ, dum arma qvatit, proxime ſibi adſtantem lædat. Hujusmodi tamen in cauſſa lædens offerat reparationem, ac teſtetur, omnem malitiam abfuiſſe, ne læſus ipſum pro hoſte habeat, ac hoſtilia viciſſim intentet.

IIX. Qvando per ἀτύχημα ſive caſum fortuitum, & citra culpam meam alterum læſero, ad reſtitutionem non teneor. Nam ubi a me nihil admiſſum eſt, qvod imputari qveat, nulla ratio eſt, qvare ego magis, qvi invitus damnum feci, fatale malum luere debeam, qvam alter, qvi accepit. Qvod ſi pauper a locuplete, per caſum fortuitum, ſit læſus, divitis liberalitati congruum erit, miſerum beneficio qvodam ſolari.

IX. Si

IX. Si plures ad unum actum, ex qvo damnum profluxit, concurrerint, primo loco tenebitur, qvi imperio, mandato, aut alio modo necessitatem inferente, ad factum impulit; is vero, qvi factum patravit, & manũ solùm admovit, hoc casu non tenebitur, qvia instrumentalis tantum caussà fuit: secundo loco tenebuntur, qvi citra necessitatem ad facinus accesserunt, prout qvisqve ad illud qvidpiam contulit; ita tamen, ut, si a prioribus reparatio fuerit facta, posteriores ab eadem immunes sint; qvanqvam a pœna non sunt immunes.

X. Æqvitati qvoqve naturali consentaneum erit, ut, si *servus* vel *homo noster* citra culpam nostram alteri damnum dedit, id vel ipsi compensemus, vel istum læso dedamus. Servus enim cum nulla habeat bona, unde reparatio fieri possit, ejusqve corpus

corpus domini sit, æqvum sane est, ut dominus aut damnum resarciat, aut ipsum dedat. (Vbi notandum, sermonem hic esse de servis, qvales apud veteres erant, ubi plane nihil possidebant, sed omnia dominis suis acqvirere debebant.) Qvando vero incitatur servus a domino ad inferendam injuriam, tunc dominus tenetur ad restitutionem, non servus; qvia hic pro instrumento tantum habetur; prout aphor. præced. dictum; & qvoniam dominus est caussa moralis damni per servum dati. Imo & hoc caret dubio, qvin dominus reparare debeat damna, qvæ ab *animalibus* suis, suam per culpam aut instinctum data sunt; aut si ex naturali & usitata ferocia animal ipsius alterum læserit. Debebat enim dominus vel talia animalia non alere, vel sic ea custodire, ne alteri damnum dare possent.

XI. Fit

XI. Fit autem Reparatio, si res corrupta vel ablata restituatur; aut si hoc fieri neqvit, æstimatio tum rei, tum fructuum (aliqvando omnis Interesse, ut loqvuntur) præstetur. De cujusmodi reparationibus & satisfactionibus plura habentur in Jure Civili. Hic, qvid Jure Naturæ debeatur, breviter erat ostendendum.

XII. Secundum inter Absoluta Officium est: *Alium hominem, ut æqve hominem tracta!* sive ut qvivis alterum hominem sibi *æqvalem* agnoscat, ratione (1) *Naturæ.* Eandem enim habemus naturam, & unus æqve est homo ac alter, etsi viribus animi, corporisqve gradu differunt. Omnes præterea ad unam stirpem referimus originem, omnes eodem modo propagamur, nascimur, morimur, fortunæ ludibriis

briis obnoxii sumus &c. (2.) *Juris*; dum legibus naturalibus cuncti obligamur ad colendam cum aliis hominibus vitam socialem; & qvod juris qvis in alium statuit, eo ipsum uti qvam maxime convenit: (3) *Libertatis*; dum omnes, citra societatem specialem, aut pactum alium finem agnoscens, æqve sumus liberi; h. e. nemo potestatis qvidqvam in alterum habet, sed qvilibet actionum & virium suarum est moderator.

XIII. Vnde necesse est (*a*) ut qvisqve alterũ æqvali jure frui patiatur; (*b*) ut speciatim qvi, aliorum opera ad suum cõmodum uti vult, idem illis præstare non recuset. Qvo pertinet Salvatoris nostri regula: *Omnia qvæcunqve vultis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis!* Matth. VII. 12. (*c*) ut qvi aliqvid inter æqvales distribuere debet, neutri qvid præ altero indulgeat.

XIV.

CAPUT IX.

De Officiis erga alios homines, iisqve Absolutis.

I. TOtum hominis Officium absolvitur, si erga Deum reverenter, erga seipsum temperanter, erga proximum seu alios homines innocenter ac socialiter se gerat. De generibus duobus prioribus, in præcedentibus actum est; nunc de tertio agendum.

II. Officia erga alios homines exercenda sunt vel Absoluta vel Hypothetica. *Absoluta*, qvæ citra omne antegressum humanum institutum omnes homines obligant. *Hypothetica*, qvæ certum statum adventitium, vel institutum per homines formatum aut receptum, præsupponunt. Sic multa sunt Juris Naturalis

lis præcepta, qvæ, nisi posito dominio rerum distincto, atqve imperio civili, non intelliguntur, neqve locum habent: ut Furtum non esse faciendum; Principi esse parendum &c.

III. Inter Absoluta primum vulgo constituunt istud: *Neminem læde!* Hoc enim ad vitam socialem absolute necessarium est; idemque facillimum, cum in nuda actionis omissione consistat. Scharrockius Lib. III. de Officiis, hanc Officii partem *Innocentiam* vocat. Conf. Ciceronem III. de Offic. *Legibus populorum constitutum est, ut non liceret sui commodi caussa nocere alteri; atque hoc multo magis exigit ipsa naturæ ratio, qvæ est lex divina & humana; cui parere qvi velit, (omnes autem parebunt, qui secundum naturam volunt vivere) nunqvam committet, ut alienum appetat, & id,* qvod

qvod alteri detraxerit, sibi assumat; c. 5.

IV. Læditur vero aliqvis (1.) in *Corpore*, per verbera, vulnera, cædem &c. (2) ratione *Famæ*, per calumnias aut mendacia de altero sparsa. (3) in *Bonis*, per furtum, rapinam, fraudem, corruptionem. Læsio in Bonis a nonnullis *Damnum* dicitur: qvanqvam a Pufendorfio & aliis hic *Damnum* tam late accipiatur, ut non solum rerum, sed & corporis, famæ, pudicitiæ, læsionem, corruptionem, diminutionem, sublationem aut interceptionem ejus, qvod ex jure perfecto debebamus habere, sive deniqve omissionem aut denegationem cujusvis officii debiti significet.

V. Cæterum ut aliqvis a me lædatur, aut damno afficiatur, fieri potest vel (1) per ἀδίκημα, *Injuriam* sive *Læsionem* proprie dictam, qvæ alteri dolo malo, aut destinato consilio infer-

infertur, eidemqve invito; cum volenti non fiat injuria, etiamsi rem patiatur injustam: vel (2) per ἁμάρτημα, *Erratum* sive *Culpam*, citra propositum qvidem, non tamen absq; negligentia sive culpa, leviore vel graviore: vel (3) per ἀτύχημα, *Infortunium* seu *Casum fortuitum*; sic, ut læsio ista recte nobis imputari neqveat. Deniqve pro Damnis a nobis datis ea qvoqve habentur, qvæ cooperantibus nobis per alios data sunt; imo & qvæ citra culpam aut proæresin nostram a servis aut animalibus nostris sunt profecta. Vid. Exod. XXI. 28. seqq. 33. seqq. & H. Grotius de J. B. & P. Lib. II. cap. XVII. & Lib. III. c. XI.

VI. Qvi vero alterum læsit, ad *Restitutionem* tenetur: frustra alioqvin Læsionem lex Naturæ prohiberet. Et primo qvidem is, qvi dolo malo damnum dedit, ad omnimo-

dam

dam reparationem; tum damni directo dati, tum ejus, qvod inde consecutum est, tenetur. In statu naturali debet qvoqve cautionem de non amplius offendendo præstare: in civitate pœnæ insuper est obnoxius.

VII. Dein ad Reparationem tenetur, qvi citra propositum qvidem, per culpam tamen graviorem damnum intulit; cum hæc qvoqve non minima socialitas pars sit, ita circumspecte agere, ut conversatio nostra aliis non fiat formidolosa aut intolerabilis; & sæpe ex peculiari obligatione, qvis ad accuratam diligentiam adstringatur. Imo & culpa levior ad restitutionis necessitatem sufficere potest; si modo negotii natura exactissimam diligentiam non ultro velut aspernetur; aut illius magis, qui damnum accipit, qvam qvi dat, culpa versetur; aut nisi vehe-

mens perturbatio, vel negotii circumſtantia, accuratam circumſpectionem non admittat; v. g. ſi qvis in fervore pugnæ, dum arma qvatit, proxime ſibi adſtantem lædat. Hujusmodi tamen in cauſſa lædens offerat reparationem, ac teſtetur, omnem malitiam abſuiſſe, ne læſus ipſum pro hoſte habeat, ac hoſtilia viciſſim intentet.

IIX. Qvando per *ἀτύχημα* ſive caſum fortuitum, & citra culpam meam alterum læſero, ad reſtitutionem non teneor. Nam ubi a me nihil admiſſum eſt, qvod imputari qveat, nulla ratio eſt, qvare ego magis, qvi invitus damnum feci, fatale malum luere debeam, qvam alter, qvi accepit. Qvod ſi pauper a locuplete, per caſum fortuitum, ſit læſus, divitis liberalitati congruum erit, miſerum beneficio qvodam ſolari.

IX. Si

IX. Si plures ad unum actum, ex qvo damnum profluxit, concurrerint, primo loco tenebitur, qvi imperio, mandato, aut alio modo necessitatem inferente, ad factum impulit; is vero, qvi factum patravit, & manũ solùm admovit, hoc casu non tenebitur, qvia instrumentalis tantum caussa fuit: secundo loco tenebuntur, qvi citra necessitatem ad facinus accesserunt, prout qvisqve ad illud qvidpiam contulit; ita tamen, ut, si a prioribus reparatio fuerit facta, posteriores ab eadem immunes sint; qvanqvam a poena non sunt immunes.

X. Æqvitati qvoqve naturali consentaneum erit, ut, si *servus* vel *homo noster* citra culpam nostram alteri damnum dedit, id vel ipsi compensemus, vel istum læso dedamus. Servus enim cum nulla habeat bona, unde reparatio fieri possit, ejusqve corpus

corpus domini sit, æqvum sane est, ut dominus aut damnum resarciat, aut ipsum dedat. (Vbi notandum, sermonem hic esse de servis, qvales apud veteres erant, ubi plane nihil possidebant, sed omnia dominis suis acqvirere debebant.) Qvando vero incitatur servus a domino ad inferendam injuriam, tunc dominus tenetur ad restitutionem, non servus; qvia hic pro instrumento tantum habetur; prout aphor. præced. dictum; & qvoniam dominus est caussa moralis damni per servum dati. Imo & hoc caret dubio, qvin dominus reparare debeat damna, qvæ ab *animalibus* suis, suam per culpam aut instinctum data sunt; aut si ex naturali & usitata ferocia animal ipsius alterum læserit. Debebat enim dominus vel talia animalia non alere, vel sic ea custodire, ne alteri damnum dare possent.

XI. Fit

XI. Fit autem Reparatio, si res corrupta vel ablata restituatur; aut si hoc fieri neqvit, æstimatio tum rei, tum fructuum (aliqvando omnis Interesse, ut loqvuntur) præstetur. De cujusmodi reparationibus & satisfactionibus plura habentur in Jure Civili. Hic, qvid Jure Naturæ debeatur, breviter erat ostendendum.

XII. Secundum inter Absoluta Officium est: *Alium hominem, ut æqve hominem tracta!* sive ut qvivis alterum hominem sibi *æqvalem* agnoscat, ratione (1) *Naturæ.* Eandem enim habemus naturam, & unus æqve est homo ac alter, etsi viribus animi, corporisqve gradu differunt. Omnes præterea ad unam stirpem referimus originem, omnes eodem modo propagamur, nascimur, morimur, fortunæ ludibriis

briis obnoxij ſumus &c. (2.) *Juris*; dum legibus naturalibus cuncti obligamur ad colendam cum aliis hominibus vitam ſocialem; & qvod juris qvis in alium ſtatuit, eo ipſum uti qvam maxime convenit: (3) *Libertatis*; dum omnes, citra ſocietatem ſpecialem, aut pactum alium finem agnoſcens, æqve ſumus liberi; h. e. nemo poteſtatis qvidqvam in alterum habet, ſed qvilibet actionum & virium ſuarum eſt moderator.

XIII. Vnde neceſſe eſt (*a*) ut qvisqve alterũ æqvali jure frui patiatur; (*b*) ut ſpeciatim qvi, aliorum opera ad ſuum commodum uti vult, idem illis præſtare non recuſet. Qvo pertinet Salvatoris noſtri regula: *Omnia qvæcunqve vultis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis!* Matth. VII. 12. (*c*) ut qvi aliqvid inter æqvales diſtribuere debet, neutri qvid præ altero indulgeat,

XIV.

XIV. Peccatur contra Æqvalitatem istam (1) per *Superbiam*, qvando qvis nulla de caussâ, aut non sufficiente, aliis se præfert, eosdemqve communi jure frui prohibet; (2) per *Contemtum* signis exterioribus ostensum, v. g. verbis, risu, contumelia &c. qvo ipso non potest non pax & socialitas turbari.

XV. Ex dictis etiam colligitur, sententiam illam, qva homines qvidã *naturâ servi* statuuntur, non esse admittendam: qvamvis enim qvidã sint hebetiores, qvidam perspicaciores aliis; non tamen aptitudo naturalis ad imperandum his statim dat imperium in illos, qvibus a natura durius est ingenium servitioqve aptum, sed facto & consensu humano opus est, ut imperium in alios cuidam deferatur, alterqve alteri subjiciatur. Non enim statim Rex est, qvi ad regendum aptus videtur. Itaqve

qve ob habilitatem naturalem, neqve ad imperandum apto jus competit perfectum ad imponendam alteri servitutem; neqve stupido datur obligatio ad eam recipiendam.

XVI. Tollitur naturalis Æqvalitas per Imperia, facto & consensu hominum introducta: qvalia sunt Imperium *Paternum*, *Herile*, *Civile*; qvanqvam œconomica ista & civilis Inæqvalitas nihil obstet præceptis illis, qvæ ex æqvalitate naturali profluunt.

XVII. Tertium inter Absoluta Officium est: *Alterius hominis utilitatem, qvantum commode potes, promove!* Parum enim est, alterum non læsisse; aut æstimationem debitam ei non detraxisse; per qvæ officia, justa solum odii caussa removetur. Boni etiam aliqvid in alterum est conferendum, siqvidem

arctiore adhuc vinculo animi hominum ſunt conjungendi.

XIIX. Enimvero proſumus alteri, ejusqve commoda promovemus, vel Indefinite vel Definite. *Indefinite*, ſi animum corpusqve noſtrum egregiis artibus ac virtutibus ita excolimus, ut ad promovendas aliorum utilitates indiſtincte apti atqve idonei reddamur; aut ſi per ingenii noſtri ſolertiam talia invenimus, qvibus vita humana redditur inſtructior. *Definite*, ſi qvispiam certis hominibus certi qvid indulgeat, qvod ipſis emolumentum aliqvod afferre qveat. Idqve fit (*a*) vel citra detrimentum noſtrum, moleſtiam aut operoſum laborem; qvalia bona alteri denegare aut invidere, deteſtabilis habetur inhumanitas. Huc pertinent *Officia*, qvæ vocant, *innoxiæ utilitatis*; e.g. erranti comiter viam monſtrare, lumen alteri de ſuo lumine

mine accendere; concedere haustum præterfluentis aqvæ; advenas, præsertim calamitate pressos, hospitio non prohibere; consilio fideli alterum juvare, clientem patrono commendare &c. Verbo: *qvæ accipienti prosunt, danti non obsunt.* Cum vero (*b*) ex singulari affectu gratis qvid in alterum confertur, impensa aut opera nostra laboriosa constans, ut insignis eidem utilitas inde concilietur, *Beneficium* κατ' ἐξοχὴν appellatur, cujus dispensationem ac modum conditio Dantis & Accipientis temperet ac moderetur.

XIX. Vt vero homines ad promiscua ejusmodi humanitatis officia eo magis incitentur, in accipientibus vicissim reqviritur *gratus animus*: h.e. ut is, qvi accepit beneficium, ostendat, hoc sibi gratum fuisse, dantiqve ideo se favere, & ad reponenda paria, paratum esse. Notandum

tamen, qvod velut ad beneficia danda, sic ad gratum animum ostendendum, nemo perfecte (sed imperfecte) obligetur. Sunt enim Officia humanitatis; ad qvæ præstanda nemo vi adigi debet vel potest. Intelligi enim neqvit beneficium, qvod non fit gratis; neqve gratæ mentis officium, ad qvod qvis vi adigi potest: tunc enim non beneficium, sed creditum esse incipiet. Interim *ingrati animi crimen* habetur pro turpissimo; per qvod alii qvoq; a beneficiis conferendis absterrentur: idqve cum injuria conjunctum, & belli & actionis caussam præbet, propter injuriam.

CAPUT X

De Officiis Paciscentium.

I. AB Officiis Absolutis ad Hypothetica fit qvasi transitus per

Pacta intermedia: qvippe cum omnia Officia, præter hactenus enumerata, Pactum expressum vel tacitum videantur præsupponere. Vt igitur seqventium Officiorum indoles recte noscatur, agendum hîc erit de Natura Pactorum; & qvid illa ineuntibus sit observandum.

II. Est vero *Pactum* duorum pluriumve, in idem placitum de dando aliqvo aut faciendo, consensus. Qvo ipso a Promissione discernitur: qvando enim unus duntaxat ad præstandum aliqvid se obstringit, vocatur *Promissio*; qvando duo pluresve ad præstandum qvid mutuò se obligant, vocatur *Pactum*. JCti dicunt: Pactum est duorum consensus atqve conventio; Pollicitatio vero offerentis solius promissum.

III. Promissio est vel Perfecta vel Imperfecta. *Perfecta* est declaratio voluntatis, qvod alteri sic obligari

velim, ut ipsi liceat rem promissam, tanqvam debitam, a me exigere. *Imperfecta* est declaratio voluntatis, qvod alteri velim obligari, sed ita, ut ipsi non liceat rem promissam, ut debitam, a me exigere; qvales promissiones sæpe sunt Parentum, Principum & Patronorum. Cum neutra confundenda est *Nuda Assertio*, qvando declaro alteri voluntatem meam, qvam in præsenti habeo de commodis ejus promovendis; sic tamen, ut nec ad perseverantiam me obligari velim; e.g. jam cogito, qvod te velim hæredem meum facere. Qvalis qvidem huc non pertinet.

IV. Paciscentium ac Promittentium Officium est, ut fidem in pactis & promissis recte datam servent. Hoc enim nisi fieret, socialitas salva esse neqviret; & hominis vita foret misera: cum nemo rationes suas aliorum hominum subsidiis firmiter super-

ſuperſtruere poſſet; imo ex violata fide plurima damna belliqve cauſſæ pullulare ſoleant.

V. Vt vero Pactum, & qvod eo promiſſum eſt, validum ſit, certæ reqviruntur conditiones: (1) Vltroneus Paciſcentium conſenſus per ſigna idonea (puta voces, literas nutusve) declaratus: qvanqvam contingat aliqvando, ut ille citra ejusmodi ſigna, ex ipſo negotio, aliisve circumſtantiis, ab omnibus hominibus rationis compotibus colligatur; ipſumqve Silentium certis cum circumſtantiis conſideratum, conſenſum interdum declaret. Vnde tritum illud: *Qvi tacet, conſentire videtur.* Qvæ tamen regula ſuas etiam habet exceptiones.

VI. (2) Reqviritur, aut præſupponitur potius, Vſus rationis, ut qvis præſens negotium, & qvid ſibi conveniat, intelligat. Vnde ſeqvitur, pacta

& promissa *infantum, amentium* ac *furiosorum*, (nisi ubi dilucidis forte intervallis furor distingvitur) ut & *ebriorum*, nulla esse. Nec etiam promissa valent *puerorum*, donec ad annos discretionis pervenerint: qvos tamen definire certo non licet; qvia citius alii, alii tardius sapiunt. Judicandum igitur ex qvotidianis eorum actibus, aut ex eo etiam, qvod communiter in qvaqve civitate aut regione accidit.

VII. (3) Vt Error, Dolus, Metusqve injustus absint. Et *Error* qvidem, uti consensum impedit, ita & pactum irritum reddit; sed tunc demum, si circa essentiam rei, aut ejus qvalitatis, de qva paciscendo potissimum actum, commissus fuerit. Si vero profectus sit ex negligentia aut præcipitantia paciscentis, hic obligatus erit ad pensationem damni ex pacto irrito alteri illati. *Dolus* paci-

scentis

ſcentis pactum utiqve reddit irritum: *tertii* non item, utut hic ad damni dati reſtitutionem ſit obligatus. *Metus* h. e. terror animi, niſi ita vehemens fuerit, ut omnem rationis uſum excuſſerit, pactum per ſe non reddit irritum: adeſt enim & in metu aliqvalis conſenſus. Qvod ſi autem fuerit *injuſtus*, (h. e. per vim injuſtam a promiſſario incuſſus) pactum irritum reddit, non ob defectum conſenſus, ſed qvia incutiens iſtum, non habet jus promiſſum acceptandi. Lex enim Naturæ, qvæ metum injuſtum alteri incutere vetat, jus qvoqve ex iſto metu acqvirere, lucrumve facere prohibet. Loqvimur autem hic de Pactis injuratis. Qvod ſi jusjurandum etiam interceſſerit, alia eaqve difficilior qvæſtio hinc exoritur.

IIX. (4) Vt res & materia Pactorum & Promiſſorum ſit phyſice & moraO 5

moraliter possibilis; nec sit res aliena, sed nostra. *Physice & moraliter possibilis* h.e. cujus præstatio non sit supra vires nostras, neqve lege aliqva prohibita. Si qvis physice impossibilia promittit, agit stolide; si moraliter impossibilia, improbe. Talium igitur Impossibilium (utroqve modo consideratorum) nulla est obligatio. Ac frustra etiam paciscimur circa *res alienas*, in qvantum non sunt nostræ, sed alterius imperio & arbitrio subjectæ. In qvod enim nullum nobis est jus, id in alium transferre non possumus.

IX. Deniqve ut Promissio valida sit, reqviritur etiam in eo, cui promittitur, *Acceptatio*, qvæ nihil est aliud, qvam ejus, cui aliqvid promittitur, consensus, per signa idonea declaratus, se id, qvod promissum est, acceptaturum. Hic consensus si absit, seu qvando alter oblatum promissum

missum acceptare nolit, res promissa penes promissorem manet. Nimirum qvi alteri rem suam offert, neqve invito eam vult obtrudere, neqve pro derelicta habere. Ergo si alter non acceptaverit, juri promittentis in rem oblatam nihil decessit.

X. Ratione Modi Promissa vel habent adjectionem notabilis alicujus Circumstantiæ, e. g. temporis, eventus, loci &c. Vel circumstantiam ejusmodi adjectam non habent. Hæc vocantur *Pura*; inter illa eminent *Conditionata*: ad qvæ reqviritur, ut validitas eorum conferatur in eventum futurum, eumqve incertum, minimum respectu notitiæ contrahentium; v. g. Dabo tibi centum imperiales, si Cæsareani Gallos profligaverint. Vt ita *Conditiones proprie dictæ* non sint, qvæ omnibus Promissis, etiam Puris, tacite insunt; ut dabo tibi hoc, si vis ma-

jor me non impediat; aut si stabit mundus &c.

XI. Porro Conditiones aliæ sunt Possibiles, aliæ Impossibiles. *Possibiles* sunt, qvæ obligationem suspendunt ex eventu, qvi physice & moraliter contingere potest. Distingvuntur in *Casuales, Potestativas* & *Mixtas.* Casualis sive fortuita conditio est, qvæ ex mero casu aut fortuna obtingit, adeoqve ut existat vel non existat, penes nos non est; ut, dabo tibi hoc, si intra triduum non pluet. Potestativa, qvæ ut existat vel non existat, penes eum est, cui promittitur; ut, dabo tibi hoc, si per totum diem domi mànseris. Mixta, cujus impletio partim ab arbitrio ejus, in qvem confertur, partim a casu, adeoqve etiam ab arbitrio tertii, pendet; ut, præstabo hoc, si virgo Mævia tibi nupserit. *Impossibilis* conditio est *Physice* talis, qvæ per rerum naturam fieri non potest: vel *Moraliter*

ter talis, qvæ contra leges fieri non debet. Ejusmodi conditiones adjectæ, si naturalem interpretandi simplicitatem seqvamur, præsertim ubi uterqve (promittens, & is, cui promittitur) impossibiles eas scivit, negantem, adeoqve nullam faciunt promissionem. In Promissis igitur conditionaris debet conditio esse possibilis, honesta, dubia, ut incertum sit, an eveniat, saltem respectu scientiæ nostræ ad eam se referentis; futura, (ita ut ejus notitia adhuc sit futura paciscentibus) & indebita, ut ne antea ex justitia aliqva eam teneat præstare.

XII. Pertinet qvoqve ad Modos promittendi, qvod promittamus & paciscamur vel *nos ipsi*, vel *per alios homines*, qvos velut internuntios & interpretes voluntatis nostræ esse volumus. JCtorum stilo personæ hæ vocantur *Mandatarii* & *Procuratores*, interdum & *Delegati*. Hi

igitur, si *bona fide* egerint, neqve fines mandati manifestos excèsserint, firmiter nos iis, qvibus cum nostro nomine pacti sunt, obligant. Cæterum vero, pro illo, cum qvo paciscimur, alia etiam persona substitui potest. Vid. H. Grotius Lib. II. de J. B. & P. c. XI. §. 18. De distinctione inter Mandatarium, in qvo *usus judicii* reqviritur, & eum, qvi mihi *ministerium* corporale tantum præstat, (unde qvæstiones multæ dijudicari possunt) vid. Cl. Thomasius Jurispr. Div. Lib. II. c. VII. §. 116. seqq. Atqve ita se habent Officia Hominis Absoluta, ut & ea, per qvæ veluti transitur ad alia.

CAPVT

CAPUT XI

De Officiis erga alios homines Hypotheticis, ac speciatim

De Officiis Sermocinantium & Jurantium.

I. Officia Hypothetica supra vocavimus, qvæ factum aut institutum aliqvod humanum præsupponunt. Qvalia instituta universalia, sine qvibus genus humanum subsistere non potuit, tria sunt: *Sermo*, *Dominium rerum*, harumqve *Pretium*.

II. *Sermo* est vox hominis articulata, (sive ex vocibus juncta oratio) per qvam animi sui sensa aliis hominibus significare potest. Est ille oppido utile ac necessarium societatis huma-

humanæ instrumentum, ut multi vel ex sola loqvendi facultate collegerint hominem ad agendam vitam socialem a natura destinatum. Ac præcipuus certe sermonis finis est, ut vita hominum socialis conservetur & promoveatur! Unde prono fluit alveo: *Sermone ita utendum, veluti natura & ratio socialitatis reqvirit.* Id qvod de aliis qvoqve mentem nostram exprimentibus signis, (scriptura, gestu, nutu &c.) qvæ sermonis vicem qvandoqve subeunt, pariter est intelligendum.

III. Hinc & regulæ hæ speciales emanant: (1) Qvoties ex humanitate (i.e. ad aliorum hominum commoda promovenda, & damna avertenda) aut pacto aliave lege teneris, toties loqvere, sive animi tui sensa signis liqvidis significa! (2) Tace, si

per

per sermonem tuum alii offendantur, aut damnum præter meritum incurrant; aut humanitas, vel pactum, vel tua etiam salus, aut generatim pax communis taciturnitatem exigant! (3) Vocabula non in alia significatione adhibe, qvam fert usus, aut conventum est. (4) Ea loqvere, qvæ cum animo tuo conveniunt, & qvæ alter ex te cognoscendi jus habet! (5) A Mendacio seu Falsiloqvio Morali semper abstine. Falsiloqvio Logico uti nonnunqvam licet; at non Morali.

IV. Nimirum *Mendacium* proprie dictum, seu *Falsiloqvium Morale*, est discrepantia verborum aut signorum a rebus & cogitatis nostris, qvæ alter ex nobis intelligendi jus habet. *Falsiloqvium Logicum* est discrepantia verborum aut signorum a rebus & cogitatis nostris, qvæ alter ex nobis intelligendi jus nullum

lum habuerit. Proinde celare veritatem, aut aliter qvam sentimus, loqvi licet, qvando id reqvirit Dei honor, aut salus publica, vel nostra etiam & proximi. Ita hostem fallere licet; hic enim nullum jus habet verum ex nobis cognoscendi. Ita judici fictis argumentis uti qvandoqve licet ad expiscandam veritatem; & Medico ad persvadendum ægrum, ut sumat medicamina: ille enim neminem lædit, ac potestatem qvoqve habet in veritatem inqvirendi; hic servare ægrotum intendit. Contra vero falsa testimonia, fidei in contractibus violatio, malitiosæ simulationes, æqvivocationes & restrictiones mentales, ad Falsiloqvia Moralia, in se turpia, omnino pertinent, qvia per eas jus alterius læditur.

V. Objicis ratione Falsiloqvii Logici.: Natura dedit homini sermonem, ut sit mentis interpres, non ut

per

per illum fallat alios. Resp. Non ut *illicite* fallat ac *noxie*. Neqve natura dedit homini sermonem, ut semper & ubiq; animi sui sensa proferat; sed ut hoc fiat cum prudentia, & secundum leges; utqve sermone mutuis & communibus commodis consulatur. Et cum hic posterior (mutui videlicet ac publici commodi propagatio) sit primarius sermonis finis, a qvo prior ille mensuram capit, non poterit contra legem naturæ esse intentio fallendi, qvæ ad hunc finem directe tendit. Elegantem affert instantiam ad prolatam objectionem, de manibus itidem a natura datis, B. Dürrius in Problemate Moral. LXXXIII. pag. 143.

VI. Solent vero homines sermoni & actibus, in qvibus sermonis usus sese exerit, firmamentum aliqvod addere *Jurejurando*. Ac licite qvidem; qvoniam nec Leges naturales, nec

nec divinæ positivæ obstant; sed potius hoc religionis vinculum sæpe exigunt ac reqvirunt. Est autem *Jusjurandum* religiosa Numinis divini, tanqvam testis & vindicis, invocatio, in assertionis aut promissionis confirmationem.

VII. Dividitur hinc in *Assertorium* & *Promissorium*. Illud adhibetur, ut rem gestam confirmemus, vel factum qvodpiam illiqvidum probemus, ubi veritas aliis rationibus commodius investigari neqvit. Tale exigitur a testibus, seu iis, qvi alieni facti habentur conscii. Promissorium est, qvo jurans homini pollicetur, se imposterum facturum aliqvid vel non facturum. Idqve promissis ac pactis addi solet, ut eo majore cum religione observentur.

IIX. Est vero jurandum per *solum Deum verum*; qvia, præter illum, nullum ens est omniscium aut omnipo-

nipotens, qvodqve pejerantes majore vi, qvam homines uti solent, punire possit. Hinc juramenta per Deos falsos, per Genios principum, ut olim apud Romanos, aliasve res creatas concepta, impia sunt; imo & irrita insuper, si jurans ipse nullam divinitatem illis tribuat. Interim tamen juramenta per vana etiam Numina aut creaturas concepta, si jurans id, per qvod juravit, verum Deum esse credat, jurantem in conscientia obligant, eaqve acceptare licet, si aliud haberi neqveat.

IX. Qvemadmodum vero jusjurandum de *re illicita* & *impossibili* præstitum non obligat; ita *hosti* tamen & *hæretico* datum est servandum; qvia omnes homines, usu rationis præditi, sunt capaces juris ex promisso, cumprimis jurato; & jus naturæ ita hominibus omnibus commune est, ut religionis discri-

men

men non admittat. Difficilior iſta eſt qvæſtio: An juramentum *metu injuſto* (e. g. a latrone) *extortum* obliget coram Deo, & ſecundum jus naturæ? (Nam ſecundum jus Civile & Canonicum certum eſt, talia juramenta non obligare, aut ſaltem per reſtitutionem in integrum ſive abſolutionem reſcindi.) Negant Puſendorfius & Thomaſius; affirmant vero Grotius, Kulpiſius ac plures; imprimis Balduinus Caſ. Conſc. Lib. II. cap. IX. Caſ. XII. p. m. 349; dicentes: *Per juramentum Promiſſionem Deo fuiſſe factam, cujus nomen non ſit profanandum.* Sed regerit Cl. Thomaſius: Non præſumendum, Deum, in favorem hominis neqvam, promiſſionem talem acceptaſſe.

X. Præterea non obligat juramentum, ad qvod alter *dolo malo* me ſeduxit; ut ſi qvis ex remotis locis ætum mihi nuntium attulerit, ob

qvem

qvem præmium ipsi jurato promiserim, postea autem falsa illum nunciasse deprehendero, haudqvaqvam juramento isto tenebor. De jurejurando JosuæGibeonitis præstito vid. Pufend.de J. N. & G. Lib. IV. cap. II. §.7, & Ambrosius Offic.III.c.10.

XI. Regulæ officii circa jusjurandum hæ sunt: (1) Loqvere verum in perhibendis testimoniis juratis! (2) Serva religiose promissa jurejurando firmata! (3) Non jura temere! h.e. ubi Cultus Dei, aut tua vel proximi salus id non exigit. (4) Nec temere juramentum posce! (5) In juramentis æqvivocationes, cavillationes & mentales reservationes omnino sunt vitandæ!

XII. Si qvis falso jurat, dicitur *Perjurium*, h.e. mendacium in jurejurando; id qvod apud omnes gentes moratiores pro atrocissimo crimine semper est habitum: qvia

perjurus manifesto satis testatur, se Deum contemnere, nec ejus omniscientiam, potentiam ac justitiam revereri.

CAPVT XII

De Officio circa acqvirendum & acqvisitum rerum Dominium.

I. ALterum institutum universale, cui certa innituntur Officia, est *Rerum Dominium*. Per *Res* hic intelliguntur res in usum & delectationem hominis a Deo creatæ; ut agri, silvæ, lacus, metalla, mineralia, aliaqve vegetabilia; nec non plantæ ac fruges, qvæ citra sensum corrumpuntur; sed & animalia bruta, qvæ citra peccatum ab homine, cibi & vestitus caussa, utut cum dolore, occiduntur & consumuntur.

II. Re-

II. Rebus hisce hujus mundi tam animatis qvam inanimatis uti potest homo; qvia nihil est, qvod usum illarum prohibeat, homoqve iis ad sui conservationem indiget; qvam cum DEVS velit, voluit qvoqve ut mediis uteretur, sine quibus conservatio obtineri non potest. Vbi tamen hæ notandæ sunt regulæ: (1) Vtere rebus creatis, a DEO in usus tuos concessis, ad gloriam, non contumeliam Creatoris! (2) Ita illis utere, ut per usum istum non evertas Bona tua Animi & Corporis! (3) Nec abutere illis ad superbiam, damnumve aliorum.

III. *Dominium* vero est jus, qvo res aliqva alicui est propria. Estqve vel Privatum vel Publicum; Plenum vel Diminutum. *Privatum* dominium nominant, quod singulæ personæ ac societates non-civiles seorsum habent; *Publicum*, qvod

 gerit

gerit ipſa Reſpublica. *Plenum* eſt, qvando proprietas rei & uſusfructus eidem domino actu competit. *Diminutum*, qvando uſusfructus rei ad unum, & ſubſtantia ejus ad alterum pertinet. Huc referunt *Directum* & *Vtile* Dominium; qvorum conceptum explicare ſatagunt Jura Poſitiva.

IV. Dominium & Proprietas hac in doctrina ſunt Synonyma, etſi qvandoqve a Scriptoribus uſurpentur diverſimode. Nimirum *Proprietas* eſt, qvando res qvædam ſic ad aliqvem pertinet, ut eodem modo non pertineat ad alium. *Communio* autem eſt, qvando rei ſubſtantia ita pertinet ad aliqvem, ut eodem modo pertineat ad alium. Communio eſt vel Poſitiva vel Privativa: Illa eſt, cum res ita pertinet ad plures, ut in plurium conjunctim ſumtorum ſit proprietate: hæc, qvando res ſecundum

cundum substantiam nullius est, secundum usum omnibus patet.

V. Jam qvod ad Originem Dominii attinet, supponendum est ex historia, Deum primis nostris Parentibus a se conditis concessisse *facultatem* rebus omnibus ad sui conservationem, divinique Nominis gloriam, utendi. Facultatem inquam; *Dominium* enim vix accurate dixeris, cum nondum alii fuerint homines, qvi ab earundem rerum possessione potuerint excludi, adeoqve rerum nec *proprietas*, nec *communio positiva* erat; utraqve enim dominium supponit: sed *communio privativa*. Atqve hæc est *communio* illa *primæva*, tot Scriptoribus & Poëtis antiqvis, ejunioribus etiam Grotio, Pufendorfio, Textori, Thomasio, aliisqve decantata.

VI. Sed ob multiplicatos homines, humaniqve ingenii malitiam, hic

rerum ſtatus diuturnus eſſe non potuit. Ergo dominium rerum introducendum fuit; idqve hoc ordine factum eſſe veroſimile eſt, ut primo *fructus*, dein rerum ſubſtantias, inter ſe diviſerint; addito pacto, ut, qvæ non diviſa eſſent, illi cederent, qvi primus ea ſibi aſſeruiſſet. Idqve cum ad præſentem tunc generis humani conditionem, & ſtudium pacis ſocialitatisqve (nam communio plerunqve mater eſt diſcordiæ) plane neceſſarium fuerit, Summi Numinis approbationem acceſſiſſe, hinc colligitur.

VII. Ad Objectum Dominii qvod attinet, notandum, duo reqviri, ut res *propria* fieri poſſit: (1) ut præbeat uſum, (inutilia enim propria ſibi facere ineptum eſt) ſed eum, qvi exhauriri poſſit. Illa enim, qvæ inexhauſti ſunt uſus, dominio ſubjicere, aut ineptum foret, aut inhuma-

num;

num; nisi forsan cum rebus aliàs propriis cohæreant. Sic lumen caloremqve solis, aërem, aqvam profluentem, a proprietate liberas relinqvere, rationi congruum est; sed qvatenus cum prædiis aut ædificiis nostris cohærent, servitutes qvasdam producere aptæ sunt: v. g. servitutem altiùs non tollendi vicinum ædificium, ne lumini aut prospectui nostro officiat &c. (2.) Reqviritur, ut res ista ab hominibus apprehendi & custodiri qveat: cæteroqvin enim alii ab ejus possessione arceri non possent.

IIX. Atqve hinc, qvid de *Dominio maris* sentiendum sit, liqvet. Nempe qvatenus usus ejus exhauriri, illudqve custodiri potest, eatenus dominii est capax; sed qvatenus usum inexhaustum præbet, & custodiri neqvit, dominium respuit. Vnde seqvitur, pacatam Oceani navigatio-

nem omnibus nationibus esse liberam debere; qvia in communione primæva permansit. Vid. hîc Pufend. de J. N. & G. Lib. IV. c. 5. §. 5. & seqq. Ac notetur regula specialis: Vt homo res inexhaustæ utilitatis, & a qvarum usu alios arcere vires humanas excedit, intra primævam communionem manere sinat.

IX. *Modi* acqvirendi rerum Dominii sunt vel Originarii vel Derivativi. *Originarii* sunt, qvibus ab initio in rem aliqvam proprietas introducitur. Sic olim, cum primum hominum genus in plures familias dividi cœpisset, primus modus erat ipsa rerum *Divisio*, facta vel auctoritate parentis, vel pacto, vel sorte, vel optione. Qvæ hoc modo non divisa, sed in primæva communione relicta fuerunt, super his conventum, ut ea cederent occupanti. Adeoqve res hodienum originariè acqviruntur per Occupationem.

X. Est

X. Eſt vero *Occupatio* apprehenſio rei antea nullius, cum animo ſibi eam appropriandi. Sicut autem Res ipſæ variant, ita variat qvoqve rerum apprehenſio. Hinc mobilia manibus, immobilia ingreſſione ſive pedibus apprehenduntur. Hoc modo acquiruntur regiones deſertæ, qvæ fiunt illius, qvi primus iſtas ingreditur animo eas ſibi aſſerendi, ita ut culturam iis adhibeat, limitesqve conſtituat. Per Occupationem qvoqve acqviruntur feræ beſtiæ, aves, piſces; item ſi qvæ a mari in litus ejici ſolent: modo tamen per Imperium civile promiſcua ejusmodi rerum captura non ſit interdicta, aut certo alicui aſſignata. Sic & res derelictæ, quas prior dominus abjecit, nec vult recuperare, cedunt occupanti; resqve aliæ, qvarum dominus ignoratur; qvo & theſaurus pertinet, qui cedit inventori, ubi per

leges civiles aliter non est dispositum.

XI. De Acqvisitionibus *Accessionum* observanda est regula: Qui dominus est substantiæ, ad eum qvoqve pertinent accessiones. Accessionum autem nomine veniunt omnes *fructus* tum *naturales*, tum *industriales*, tum *civiles*. *Illi* naturâ, *isti* facto & industria hominum, *hi* per contractus proveniunt, uti usura, pensiones &c. Omnes hi fructus, secundum regulam traditam, pertinent ad dominum rei, ex qua resultant. Hinc & foetus pertinet ad dominum matris; plantata & consita in solo, ad dominum soli; qvæ per alluvionem accrescunt, ad eum, qvi est dominus ac possessor agri; nisi constet, unde res venerit.

XII. Præterea contingit interdum, ut alii aliis viis jus sibi in res nostras acqvirant: ut sunt, jus emphy-

phyteuticum, jus superficiei, jus possessoris bonæ fidei; pignus seu hypotheca; servitutes; de qvibus fuse agunt Juris Romani interpretes, & Pufend. de J. N. & G. Lib. IV. c. 8.

XIII. *Derivativi* vero Modi sunt, qvibus dominium, jam constitutum, ab uno homine in alium transit. Idqve fit vel ex *dispositione legis*, vel *facto prioris domini*. Ad priorem modum pertinent *Successiones ab intestato*. Si enim qvis moriatur, voluntate sua de bonorum suorum translatione non legitime satis declarata, tunc præsumitur, illum voluisse bona sua ad eos devolvi, qvos præ cæteris dilexit. Cum vero præsumtiones hæ sæpe a vera defuncti voluntate aberrent, succurrit hîc Lex naturæ, jubens, ne dominia in incerto sint, & ne innumeris litibus fenestra aperiatur, ut is succedat, cui secundum naturæ ordinem qvisqve

præ cæteris bene cupere debebat. Ordo igitur in succeſſionibus ab inteſtato hic eſt: ut primum locum teneant *deſcendentes*, primi & ulterioris gradus, qvia his debentur alimenta; ſecundum occupent *aſcendentes*, per legem gratitudinis; tertium deniqve *collaterales*, ob ortus communionē & ſangvinis proximitatem.

XIV. Quæ autem facto domini prioris, ejusqve conſenſu expreſſo fit translatio, ea aut *inter vivos* fit per Donationem: aut *poſt mortem* per Teſtamentum. Adeoqve definitur *Teſtamentum*, qvod ſit declaratio voluntatis noſtræ circa ſucceſſores in bona noſtra, poſt mortem noſtram. Vnde conſeqvitur, ante mortem teſtatoris heredi proprie nullum jus in bona illius competere; ac teſtamentum etiam ante mortem mutari poſſe.

XV. Peculiaris deniqve modus acqvirendi eſt *Vſucapio*, qva is, qvi

bona

bona fide justoqve titulo rei alicujus possessionem nactus est, eamqve diu qvietam nec interruptam obtinuit, pro perfecto tandem ejus rei domino habetur, jure prioris domini exstincto. Dico (1) *bona fide*; unde res vi aut furto ablatæ a raptore & fure usucapi non possunt; (2) *diu qvietam possessionem*; sive ut qvis per longum temporis intervallum rem qviete possederit. Hinc *Præscriptio* in Jure locum habet; ac tempus, pro diversitate rerum usucapiendarum, modo longius modo brevius, est determinatum.

XVI. Officia circa rerum dominia acqvisita his regulis (præter datas § 2. Cap. huius) includi possunt: (1.) Ne alios rerum suarum dominio directe aut indirecte privemus. (2.) Si res aliena ad nos pervenerit, eamqve adhuc in potestate nostra habeamus, qvantum in nobis est, efficiamus,

mus, ut ad legitimum dominum redeat. (3.) Quodsi vero *consumta* sit, ut tantum reddamus, in qvantum facti sumus locupletiores. Nemo enim ex immerito alterius damno lucrum capere debet.

CAPUT XIII.

De Pretio.

1. TErtium Institutum universale est *Pretium* rerum & actionum. Caussa, cur hoc introduceretur, necessitas & humana indigentia fuit. Post introducta enim rerum dominia, cœperunt commercia ac rerum permutationes; qvæ sine pretio commode fieri neqveunt. *Pretium* vero est valor rerum & actionum in commercium venientium, qvatenus usum aliqvem & delectationem hominibus afferunt. Est vel *Vulgare* vel *Eminens*.

II. Vul-

II. Vulgare pretium eſt, cum mutuo inter ſe qvæcunqve res & operæ conferuntur. Fundamentum ejus eſt *Vtilitas*, qvam res & actiones in vita hominum præbere poſſunt. (Hinc res *inutiles* vocantur *nullius pretii.*) Ac fundamenti illius reſpectu rerum pretia vel intenduntur vel remittuntur; qvo majorem ſcilicet aut minorem uſum ac jucunditatem in vita afferunt. Speciatim vero Vulgare rerum pretium intenditur (1.) ob earum *raritatem*, maxime ſi neceſſitas & indigentia accedat. Vnde illud: Omne rarum carum. (2) In artificialibus ob *elegantiam* & *ſubtilitatem operis, celebritatem artificis* &c. (3.) ob cauſſam particularem, aut affectionem, qva qvidam res ſuas amplectuntur; unde *pretium affectionis*. Contraria horum pretium imminuunt.

III. Sunt vero res qvædam, etſi

utilissimæ, qvæ pretium tamen non habent: (1.) qvod omne pretium superent, inqve commercium venire non debeant, ut actiones sacræ, justitia &c. (2.) qvia extra dominium sunt positæ, & in communione relictæ; ut, aër, lumen, aqva profluens; nisi qvatenus cum rebus nostris cohærent, qvarum pretium utiqve augere vel minuere solent.

IV. Definiuntur rerum Pretia in statu naturali *contrahentium conventione*: in statu civili, a *summo Imperante*, vel per legem, unde pretium *Legitimum*; vel ex usu fori ac per communem civium æstimationem, hinc pretium *Commune*. A pretio legitimo, plus exigendo discedere non licet, etsi minus accipere, si velis, non prohibearis.

V. Cum autem permutatione rerum commercia difficulter procederent, necesse fuit, ut Pretium *Emi-*

nens

nens introduceretur, ad qvod nempe cæterarum rerum ac operarum pretia vulgaria exigerentur, & in qvo eadem virtualiter continerentur; qvod appellatur *Nummus* vel *Pecunia*. Et vero materia pretii eminentis debet esse (1.) rara & æstimabilis; (2.) substantiæ solidæ & compactæ, ut usu non facile deteri qveat; (3.) divisionem in minutas particulas admittens; (4) custodiæ & translationi apta. Aptissima proinde hunc ad usum sunt metalla nobiliora, *aurum, argentum, æs*, habita tamen ratione præstantiæ unius præ altero. In casu necessitatis numi etiam plumbei, ferrei, coriacei &c. vicem veræ pecuniæ subire possunt.

VI. Pretium Eminens in statu naturali constituunt gentes: in statu civili is, penes qvem est summa potestas circa monetam. Idqve fit vel certo definito pondere, vel qvod passim

ſim receptum, impreſſâ Imperantis imagine, aliisqve notis, e qvibus numorum valor conſtare poſſit. Notent vero *Imperantes* hanc regulam: In valore numorum non debere fieri mutationem, niſi ſumma reip. utilitas id ſvaſerit; qvæ tamen mutatio qvo modeſtior fuerit, eo minus rationes civium perturbabit. *Parentes* iſtam: ab omni pecuniæ corruptione abſtine; remqve tuam ita compara ad rem alterius, ut hunc neqve ſine juſta cauſſa inæqvalem judices, neqve decipias ac defraudes!

VII. Pleraqve omnia hominis *Officia erga alios*, revocari poſſunt ad *Charitatem* & *Juſtitiam*. Et illa qvidem Virtus, qva alterum non lædimus, *Juſtitia Univerſalis* aut *Innocentia* nomine inſigniri ſolet; cui opponitur *Injuſtitia Univerſalis*, & alios *injurioſe tractandi libido*; ubi vitium ſpeciatim, qvo lædimus alios in

in corpore, vocatur *Immanitas*, in bonis, *Furacitas*, in fama *Maledicentia* & *Calumniandi libido*. Virtutes, qvibus injurias illatas excipimus ac despicimus, sunt *Mansvetudo* & *Magnanimitas*. Æqvalitatem naturalem observant *Æqvitas* & *Humilitas*; qvibus adversantur *Iniqvitas* & *Superbia*. Aliorum hominum utilitates & commoda promovent *Charitas*, (φιλανθρωπία) *Hospitalitas*, *Liberalitas*, & qvæ beneficia rite accipit, *Gratitudo*. Charitati opponitur *Omissio officiorum humanitatis*, (Μισανθρωπία) Hospitalitati *Inhospitalitas*, Liberalitati *Illiberalitas*, animo grato ingratus, sive *Ingratitudo*. Quæ in excessu hic peccant vitia, huc non pertinent, cum per ea homo in se ipsum magis, qvam in alios peccet.

IIX. Præterea Pacta & Promissa sancte servat *Fides*, cui opponitur

Per-

Perfidia. Officia ſermocinantium dirigit *Veracitas Juſtitiaria*; cui adverſatur *Mendacitas* ſeu mentiendi libido. E Jurantium officiis exſurgit *Religioſa fidelitas*; cui pejerantium perfidia & *Perjuria* repugnant. Ratione Dominii commendanda eſt *Abſtinentia a rebus alienis*; cui contrariantur *Concupiſcentia rerum alienarum*, *Avaritia* &c. Ratione Pretii & Contractuum *Juſtitia Particularis*, eaqve *Commutans* & *Diſtribuens*; cui opponitur *Injuſtitia Particularis*, qvæ itidem in *Commutativam* & *Diſtributivam* diſpeſci ſolet.

CA-

CAPUT XIV

Continens *Addenda quædam* De Contractibus & Interpretatione.

I. PUfendorfius & alii, doctrinæ de Pretio subjungere solent doctrinam de *Contractibus*, qvi rerum pretia præsupponunt. Cl. vero Thomasius in Jurisprud. Divin. ac plures, hanc omittunt, tum qvia præcepta de Contractibus pleraqve omnia ad Jus Civile spectant; tum qvia de Paciscentium Obligationibus ab ipso Thomasio generatim ibid. Lib. II. cap. 7. actum est: cujus vestigiis heic insistere nobis placet, qvi & supra Cap. X. de Officiis Paciscentium, ipsisqve Pactis egimus; a qvibus Contractus non aliter, qvam a genere species videntur differre.

II. Con-

II. Concinnam Contractuum divisionem Consultiss. D. Textor in Synops. Jur. Gent. cap. XIII. num 50. suppeditat: (qvam laudat eo nomine b. Kulpisius in Colleg Grot. p. 67.) Nimirum obstringitur aliqvis vel ad *dandum*, sive ad *translationem dominii*, ut in Mutuo, Emtionibus, Venditionibus, Rerum permutationibus &c. vel ad *Faciendum* sive *Usum rerum* aut *operarum*; eumqve vel *gratuitum*, ut in Mandato, Deposito, Commodato & similibus; vel *mercenarium*, ut in Locationibus Conductionibus, & Contractu innominato, Facio ut facias. Vid. de *Contractibus* Pufendorf. de Off. H. & C. Lib. I. cap. 15. ac de J.N. & Gent. Lib. V. cap. 2 3. & seqq. Add. Phil. Slevogti Disp. de Contractibus, in quantum sunt Philosophicæ considerationis, Jenæ hab. A. 1687.

III. De *Interpretatione* (qvam doctri-

doctrinam pariter, coronidis loco, nonnulli Jurisprudentiæ Vniversali annectunt) agunt *Dialectici*, atqve e junioribus imprimis Claubergius in Logica sua, item Greydanus & Weisius; maxime vero *JCti*, qvi varias proponunt bonæ interpretationis regulas, qvæ tamen ad Leges Civiles potissimum spectant; cum Legum Naturalium sensus nobis innotescat per solas demonstrationes. Qva in sententia qvoqve versatur celeb. Thomasius Jurispr. div. Lib. II. c. XII. § 2. 3. Interim ex Scriptoribus J. N. nemo felicius doctrinam hanc tradidit, qvam H. Grotius Lib. II. de J. B. & P. cap. XVI. nec non Pufendorfius eum secutus Lib. I. de Off. H. & C. cap. 17. longeqve fusius Lib. V. cap. XII. de J. N. & G. Add. Thomasius Jurispr. divin. Lib. II. cap. XII.

IV. Atqve hæc de Officio Hominis, non præcise in certa societate con-

considerati, tradita sufficiant. Seqvuntur nunc breviter Officia hominis in *Societate Oeconomica* & *Civili* constituti.

CAPUT XV

De Officiis Conjugum.

I. DEus, qvi vitam hominis socialem esse voluit, primam inter Societates constituit *Conjugalem*, sive *Matrimonium*; qvod, secundum Leges naturæ consideratum, est pactum maris & feminæ, de corpore mutuo præbendo, procreandæ subolis caussa.

II. Eqvidem sunt qvi putent, finem hunc matrimonii etiam citra tale pactum obtineri posse; sed falluntur. Maxima enim rerum confusio oritura esset, si qvilibet ex qvalibet suscipere liberos vellet,

III. Si-

III. Sicut vero pactum omne, ita matrimonium qvoqve consensum maxime reqvirit. Et consensus qvidem mutuus hic efficit, ut conjugium sit; copula vero carnalis, ut contractus expleatur.

IV. Finis qvoqve pacti hujus, sobolis procreatio, cum obtineri possit, etiamsi vir *unus pluribus* jungatur *feminis*, qvin lege naturæ Polygamia talis licita sit, nullum est dubium. Sed de matrimonio *unius feminæ* cum *pluribus viris* aliter est sentiendum. Nec ut *perpetuum* hoc pactum sit, necessum est; licet ad prolis educationem multum conducat. Nempe enim omne pactum sicut dissensu mutuo dissolvi potest, ita & matrimoniale, præsertim si graves eò caussæ perducant; inter qvas mores etiam asperi & intolerabiles referendi: nam & hi matrimonii finem impediunt. Qvod si tamen

tamen ea lege matrimonium initum sit, ut sit perpetuum, utqve viro non liceat plures feminas ducere, pacto tali sancte omnino standum est.

V. Nec finis Societatis hujus reqvirit, ut *imperium* sit penes *maritum*; qvanqvam ipsorum paganorum qvidam id viderint esse consultius; e qvibus Martialis Lib. IIX. Epigr. 12:

Inferior matrona suo sit, Prisce, marito;
Non aliter fuerint femina virqve pares.

VI. De *Gradibus Consangvinitatis* ita sentiendum: *Ascendentium* & *Descendentium* matrimonia Juri Naturæ, naturalem ob pudorem, ac reverentiam parentibus & majoribus debitam, repugnare. Matrimonia vero *fratrum* ac *sororum*, & cæterorũ

colla-

collateralium, qvo minus iniri possint, nulla ratio naturalis videtur obstare.

VII. Longe vero alia Matrimoniorum est conditio, si secundum Leges divinas positivas universales considerentur: secundum has enim reqviritur (1.) unius viri & unius feminæ conjunctio; & (2.) qvidem perpetua; nec qvorumlibet, sed qvi (3.) in gradibus Lege divina prohibitis se mutuo non attingunt; (4.) talis deniqve conjunctio, in qva imperium semper sit penes maritum; qvia & (5.) Leges hæ fines alios addunt, mutuum auxilium, & vagæ libidinis exstinctionem.

IIX. Officia, secundum Leges naturales, hæc hoc loco sunt observanda: (1.) ut illi, qvi ad generandum sunt habiles, & ad prolem alendam educandamqve idonei, matrimonium ineant, vagosqve concubitus, adulteria, idqve genus alias actiones & mixtiones impuras fugiant:

(2.) ut fides in matrimonii contractu data sancte servetur; debita conjugalia utrinqve præstentur, amorqve mutuus & concordia tum in secundis tum in adversis rebus stabilis permaneat. Secundum Leges divinas positivas etiam reqviritur, ut *maritus* uxorem veluti carnem suam unice diligat, eamqve nutriat, regat, defendat; & *uxor* vicissim maritum perseverantissime amet, honoret, eidem obtemperet, ac mutuum auxilium, tum in educanda prole, tum curanda re familiari præbeat. Qvæ Officia Virtutes procreant Societati huic proprias, *Fidelitatem*, *Charitatem* & *Castitatem conjugalem*; nec non ex parte uxoris *Obseqventiam matrimonialem*.

CAPUT XVI

De Officiis Parentum & Liberorum.

I. EX Societate Conjugali efflorescit Societas *Paterna*, inter paren-

rentes & liberos instituta ad subolem nutriendam recteqve educandam, in familiæ decus & humanæ societatis emolumentum.

II. Cum igitur finis Societatis hujus sit nutritio & educatio prolis, ac Lege naturæ parentibus injungatur cura liberorum; utiqve potestatem illi habere debent, horum actiones tamdiu dirigendi, donec ipsi se regere valeant. Inde orta potestas patria sive Imperium in liberos; ac vicissim obligatio liberorum directioni parentum sese submittendi.

III. Imperium autem hoc, si ex Lege naturali rem metiamur, utriusqve parentis est æqvale: qvia ad fundamentū potestatis hujus uterq; concurrit; nisi ipsi parentes in societate nuptiali aliter convenerint. Ex Lege autem divina positiva, ac legibus etiam civilibus, prmariò imperium hoc est penes patrem, secundariò penes matrem.

IV. Cæterum Potestas hæc Pa-

ment, iisqve honorem ac reverentiam exhibeant, non externis solum signis, sed multo magis interna æstimatione, tanquam vitæ ac mille aliorum beneficiorum auctoribus; utqve in omnibus, quæ divinæ voluntati non repugnant, obseqvium præstent; morositatem ac nævos parentum patienter ferant; & si societas jam soluta sit, observantiam gratumqve animum verbis & factis demonstrare non desinant: tandemqve senio præsertim aut egestate confectos parentes juvent ac sustentent. Fluunt inde Virtutes *Pietas* & *Charitas*, tam ex parte *parentum* qvam *filiorum*; item *Obseqviositas* & *Gratitudo filialis*, idqve genus aliæ.

CAPUT XVII

De Officiis Dominorum & Servorum, aliarumqve Societatum minorum.

I. SOcietas *Herilis* inter dominum & servum, (servos, dominam &

cillas) est instituta, ut alter ope alterius commode vivat, & quotidianas ac domesticas necessitates facilius meliusqve expediat.

II. Finis itaqve cum in eo consistat, ut res familiaris & commoda domini promoveantur, servusqve simul sustentetur, ad finem hunc obtinendum facultate qvidem cöercendi & castigandi servum, minime vero jure vitæ ac necis opus est. Adeoqve jus hoc veteribus usitatum sphæram societatis herilis excedit, nec ullus operæ qvotidianæ defectus æqviparari vitæ potest.

III. Servitus alia est *Absoluta* (Perfecta) qva qvis ministerium suum alteri absolute & in perpetuum addicit; alia *Mercenaria* (Imperfecta) qva qvis alteri ministerium suum determinate & certis sub conditionibus addicit. Servitus perfecta *nihil* habet *nimiæ acerbitatis*, qvia perpetua obligatio perpetua alimentorum ministratione compensatur.

Vn-

Vnde nec incommode retineri potuisset, (1.) qvia ingenia non paucua e vulgo in servitutem propendent; (2.) res nostræ domesticæ multo facilius administrari possent. A veteribus tamen Christianis, ob exqvisitius Charitatis studium, sublata fuit.

IV. Officia *Heri* sunt, servis alimenta, defensionem & mercedem promissã præbere; necessitates & commoda eorum haud negligere; non illicita jubere, non in servos sævire, sed imperio herili moderate ac prudẽter uti.

V. *Servorum* Officia sunt, ut, qvæcunqve à dominis honeste demandantur, bona fide exseqvantur; ut commoda & honorem dominorum pro viribus promoveant, eosdem amore ac timore debito proseqvantur; imo & increpationes & castigationes heri, qvandoqve etiam immeritas, æqvo animo ferant. Vnde seqvitur, qvod fuga sibi consulere neqveant, nisi sævitia domini eo usqve progressa fuerit, ut naturæ

ac fini societatis hujus omnino repugnet. Profluunt hinc Virtutes *Justitia rectoria* & *Mansvetudo herilis*; item *servilis Sedulitas*, *Humilitas*, *Patientia* & *Obseqviositas*.

VI. Ex Societatibus hucusqve consideratis constituitur *Familia*. In qva non alia observanda sunt officia, qvã qvæ hactenus sunt comẽndata. Familia vero erga familiam eadem f re observabit Officia, qvæ homini erga hominem sunt præstanda.

VII. Nonnunqvam vox *Familia* designat conjunctionem complurium hominum jure sangvinis, aut nuptiarum, se invicem attingentium, adeoqve duplici vinculo *Consangvinitatis* & *Affinitatis* cohærentium. Officia hominum vinculo tali inter se junctorum sunt: (1.) ut arctiore amore ac benevolentia se invicem complectantur, qvam alios; (2.) si privilegia qvædam universæ familiæ competant, nemo alterum in eorundem usu & exercitio turbet; (3.)

erga

erga alias qvoqve ejusmodi familias naturæ Leges accurate observent.

IIX. Ex pluribus conjunctis domibus & familiis nascitur *Vicus*; ubi nimirum aliqvot patresfamiliâs, modo plures modo pauciores, cohabitant. Cum vero paterfamiliâs unus alteri aut pluribus vicinus esse voluerit ac debuerit, ut eo citius alter alterius ope frueretur; seqvitur inde, qvod in vico vicinus vicino non solum consilio, commodatione, omniqve officio succurrere, sed etiam, necessitate cogente, alter alterius vitam & bona, qvantum potest, defendere debeat. Proinde sicut in prædictis societatibus, sic in vicis inter vicinos *Concordiam, Benevolentiam* & *Officiositatem* mutuam coli necessum est; qvibus neglectis virtutibus haudqvaquam vigebunt aut florebunt, sed brevi potius exscindentur aut vastabuntur.

CAPUT XIIX

De Officiis in Civitate Imperantium & Parentium.

I. SUperest Societas *Civilis*, sive

coetus

cœtus multorum hominum & familiarum, congredientium felicitatis civilis consequendæ gratia; quæ consistit in vita honesta, secura, rebusque necessariis affluente.

II. De Origine & Caussis Societatis hujus a variis varie disputari solet, dum aliis caussa impulsiva principalis a parte hominum, habetur Natura hominis ad societatem propensa; aliis Metus & Indigentia humana; aliis Vis & cupiditas regnandi &c. Quod si caussa impulsiva & finalis actionis alicujus sibi invicem sunt oppositæ, Metus sane & Indigentia e numero caussarum impulsivarum hic non videntur excludi posse; cum metui securitas, & indigentiæ rerum necessariarum sufficientia, ut fines societatis hujus, opponantur. Vid. Celeb Thomas. Jurispr. Div. Lib. III. c. VI. §. 15.

III Sicut vero Cives seu coalita hominum multitudo *materiam* Civitatis, ita modus imperii, qvo civitas regitur, sive Ordo imperantium & parentium, *formam* ejusdem constituit; qva præsente, vocatur *Respublica*. Et vero in populi sic coaliti potestate

pri-

primum est, an regimen sive summum imperium uni, (ut in *Monarchia*) an Optimatibus,(ut in *Aristocratia)* conferre, an illud reservare sibi ac per comitia exercere velint, (ut in *Democratia*) an vero dividere qvasi jura imperii inter unum & plures velint, ut *Mixta* vel *Irregularis* emergat respublica. De qvibus Rerump. formis consulantur Politici.

IV. Officium *Summorum Imperantium* generale hoc est, ut, qvæcunque ad securitatem & salutem Civitatis conducunt, ea faciant; e contrario autem omittant, qvæ ejusdem fini repugnant. Itaqve nihil sibi privatim expedire putent, qvod non idem publice expediat. Specialia sunt: (1.) ut prudentiam gubernandi probe addiscant, notitiamqve status publici intimiorem sibi acqvirant; qvæ consistit in cognitione indolis ac virium subjecti populi, suarumqve & vicinarum regionum &c. (2.) Civium animos bonis moribus artibusqve honestis imbuant per leges, doctrinas ac disciplinam publicam. (3.) Leges commodas & perspicuas sanciant, harumqve exse-

executionem procurent. (4.) Justitiam administrent, mutuasqve civium injurias & factiones prohibeant. (5.) Pœnas ita temperent, ut finis obtineatur, ac cives non plus afflictionis, qvam respubl. utilitatis, inde ferant. (6.) Probos atqve idoneos ministros ubiqve constituant. (7.) Tributa recte imponant & collocent. (8.) Facultates civium per commercia & opificia promoveant. (9.) Adversus invasiones exterorum civitatẽ defendãt, eoq; fine armã & exercitus in tempore parent, fœdera publico utilia ineãt. &c. (10.) Deniq; sui æstimationẽ ac populi favorem sibi concilient, per Virtutes imprimis ex officiis hisce profluentes, *Pietatem*, *Prudentiam*, *Justitiam*, *Fortitudinem*, *Vigilantiam*, *Munificentiam*, aliasqve plures Imperantibus convenientes.

V. Officia *Civium* ac *Parentium* generalia sunt: (1.) Imperantibus reverentiam, fidem & obseqvium in omnibus, divinæ voluntati non repugnantibus, præstare; (2.) Salutem totius civitatis propriis commodis anteferre; illiusq; incolumitatem, suarum etiam fortunarum, ac ubi necessitas efflagitat, vitæ jactura procurare. (3.) Erga cives cæteros pacifice ac humaniter se gerere. Æqvum enim est, ut corporis unius membra, quæ mutuo indigent auxilio, amice invicem conspirent. Specialia ad varios Reip. ministros pertinent, qvorum summa huc redit: (1.) Ne qvis ullum in republ. munus affectet, cui imparem & ineptum se deprehendit; (2.) Qvilibet munere suo, ea qva par est, fide atqve industria fungatur.

FINIS.

